repelluntur, & re infecta ad Ganiam redeunt. Poſtremò ipſe A Ganias, ratus Epiſcopum conductitios habere, qui ipſi præſidio eſſent, cum validiore militum manu ad eum invadendum profectus eſt: ſed & ipſe ſimili modo perterrefactus, celeriùs abiit, quàm venerat. Et quoniam putavit civitatem cum Joanne ſtare, furore percitus perrexit in Thraciam, coegit exercitum: & reverſus devaſtabat Byzantinum agrum, etiam urbi proximè incurſans. Arcadius verò Imp. moleſtiam hanc abſque hominum cæde avertere cupiens, cùm ad illum placandum legationem deſtinare vellet, Joannem ultrò ſe offerentem miſit. Ejus adventu Ganias conſternatus, humi procidit, & ab eo, quem interempturus putabatur, veniam ſupplex petiit: tum præda reſtituta amovit exercitum, maturèque receſſit, tam deinde favens Chriſtianis, quàm antè faverat impietati Arrianæ. *Marul. l.2. c.11.*

Geysa Ungarorum rex, deſiderium Strigonienſem metropolitam de fraterna concordia concionantem in Nativitatis Chriſti ſolemnibus audiens, pœnitentia ductus, ad ejus pedes ſe abjecit: Salomonem injuſtè à ſe regno pulſum faſſus, tertia regni parte cum ducis titulo ſe contentum fore, regni nomen, & jus eidem ſe reſtituturum pollicitus, priuſquàm legati cum B Salomone tranſegiſſent, obiit. *Bonf. l.4. Decad.2.*

Ludovicus Thuringiæ Landgravius, cùm in venatione à via aberraſſet, apud Lignatorem pernoctavit, Landgravii ſe venatorum præfectum dictitans. Ruſticus ſtomachosè multa de Landgravii aſſiduis venationibus, & improbis aulicis locutus, acerbiſque dicteriis in illum invectus, dignum etiam infernalibus ignibus eſſe aſſeruit. Quæ ſcommata Princeps per totam noctem patientiſſimè tulit. Summo mane collaudato Lignatore, gratus diſceſſit: & in poſterùm vitam ſuam, & aulicorum mores emendavit. *Cyriacus Spangenbergius in Venatorio diabolo.*

Quidam cum Jo. Pico Mirandula colloquens, cùm haberetur ſermo de Moribus, duobus tantùm ipſius verbis commotus eſt, ut via vitiorum deſerta Mores reformaverit. Verba fuerunt ejuſmodi: Si Chriſti mortem noſtri amore perpeſſam præ oculis haberemus, propriam quoque identidem cogitando, caveremus à vitiis. *Joan. Franciſcus Galeotti F. in vita Jo. Pici.*

Leopoldus Auſtriæ dux non multò poſt, quàm Ricardum Angliæ regem Viennæ ceperat, mortem obiit, morbo diù C cruciatus. Filius ratus patrem ob id vitam amiſiſſe, quod Ricardum inhumaniter tractaſſet, qui ſacrum bellum geſſerat, primo quoque die Anglicos obſides miſſos faciendos, pecuniæque bonam partem debitam Ricardo remittendam curavit. Fuit ea res Ricardo tam jucunda, quàm ſalutaris: quoniam ipſe poſteà cogitationem ſuſcipere cœpit, quanta ſibi quoque crimini danda eſſent, quòd ſimul Deum, ſimul homines offendiſſet: mirumque dictu eſt, quàm meliùs vitam deinde inſtituerit. *Polyd. l.12.*

Basilii quoque Magni ſtudio, atque induſtria is, qui diabolo ſe mancipaverat, peracta pœnitentia, liber evaſit. Coacti ſunt maligni ſpiritus reddere chirographum, quo ipſum ſibi devinctum tenuerant: cùm pœnitentem tenere nullo modo poſſent. Et factus eſt Dei ſervus, qui fuerat diaboli. Ita & Baſilius ovem de faucibus lupi ereptam gregi Eccleſiæ reddidit, & proximi ſalutem lucrum ſuum fecit. *Amphiloch. in vita Baſilii.*

Mutius Abbas cuidam jam animam agenti, Deum precatus trium annorum ſpatium ad pœnitendum impetravit, ſanumque ſecum ad eremum duxit. Et ille cùm triennium peccata ſua luxiſſet, in vigiliis, jejuniis, obſecrationibus, deceſſit ſecurus. Et cujus ope vitæ terminum protelaverat, ejus & ma- D nibus ſepultus in Domino quievit. *In vitis PP.*

Siquidem & Odonis Cluniacenſis Abbatis monitis quidam ex prædone Monachus factus, dum è vita decederet, Beatam Virginem ſibi apparuiſſe dixit, jubentem ne timeret, eò quòd Odonis meritis ipſi peccata omnia remiſſa eſſent. Fecit itaque magiſtri ſanctitas, ut diſcipulus diem ſuum ſecurior obiret. *Sur. Tom.6.*

Pacomius quoque Abbas, cùm aliquem ex fratribus inimici ſupplantatione in nequitiam dejectum accepiſſet, conquieſcere omnino non poterat, tamdiù pro illo preces offerens Deo, donec ad pœnitentiam converſum eſſe certior fieret. *Metaphr. & in vitis. PP.*

Piamon in Scythiotico monaſterio ſpectatæ ſanctitatis Presbyter, dum Miſſæ ſacra conficeret, Angelum Domini vidit, qui Monachorum nomina in codice partim ſcriberet, partim ſcripta deleret. Viſa ergo Monachis explicans, eos peccato obnoxios comperit, quorum nomina ſubduci vidit. Ac tamdiù cum illis lugens veniam oravit, donec iterùm apparens Angelus, etiam illorum nomina conſcriberet, quorum ante deleverat. Illi itaque quantum mœroris prius conceperant, E tantum deinde lætati ſunt, cùm poſt pœnitentiam ſe quoque conſcriptos in cœlis, ac in libro vitæ repoſitos agnoviſſent. *Trip. hiſt. l.8. c.1. Pallad. Hiſt.72.*

Et hoc ſanè, quod modò dicemus, exemplum magnæ erga pœnitentem miſericordiæ judicium eſt. Theophilus preſbyter in Cilicia ab officio Archidiaconatus per injuriam ejectus, diabolo chirographum confecerat, quo ſe illi tradebat, Chriſto repudiato, ſi modò per illum dignitatem amiſſam recuperaſſet. Cùmque priſtino honoris loco reſtitutus eſſet, ad ſe rediens, vehementer animo conflictari cœpit, & ad Beatam Dei Genitricem Mariam Virginem converſus auxilium cum lachrymis implorare. Igitur dies quadraginta in luctu, jugique ſupplicatione peractis, apparens Virgo mœſtam conſolata eſt, ſalutem ſperare juſſit. Ac poſt triduum iterùm apparens, peccatum ipſi dimiſſum nunciavit. Atque ille (ne tanta Dei erga peccatorem pœnitentem pietas lateret) publicè in Eccleſia peccatum ſuum confeſſus, viſa enarravit, ac deinceps ita ſanctè vixit, ut miraculis nobilitatus ſit.

Carolus Franciæ Rex virtutum beati Ægidii fama F commotus, miſſis Legatis ejus conſpectu, colloquioque frui voluit. Ægidius cognita Regis voluntate, eum adiit, & ſermonem de mundi contemptu familiariter haud ſine fructu inſtituit: nam Rex cùm occulti ſceleris cujuſdam conſcientia ligatus ad illum uſque diem Dei judicium non extimeſceret, tunc ſubito horrore perculſus ſupplex Ægidium rogavit, ut iratum ſuis ſceleribus numen precibus pacatum reddere dignaretur. Ea Regis ſupplicatione motus Ægidius, proxima deinde Dominica agni oblaturus ſacrificium, intentiùs Deum pro Rege precatus eſt, & ecce ſub ipſo (ut vocant) canone Angelus Domini in altari ſchedulam depoſuit, quæ Regi admiſſi ſceleris veniam ſpondebat; ſi tamen juſto dolore tactus melioris deinde vitæ frugem præſtaret. Eam ſchedulam ſanctus Abbas Regi legendam tradidit, eumque ſeveris monitis ab omni peccato abſterruit: & ſic demum donis, muneribuſque ad pauperum conſolationem affectus ad monaſterium rediit. *Bergomenſis l.10. Pet. de Natal. l.8. Catal. c.18. & Zachar. Lipello 1. die Septemb.*

*S. Bonaventura in vita B. Franciſci cap.*10. refert aliud his G verbis: Alio quoque tempore, cùm poſt reverſionem ipſius ultra mare Celanum prædicaturus S. Franciſcus accederet; miles quidam ſupplici cum devotione cum inſtantia magna invitavit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omniſque familia pauperum hoſpitum exultavit in ingreſſu. Antè verò quàm cibum ſumerent, juxta ſolitum morem, vir mente devotus, offerens Deo preces, & laudes, oculis ſtabat elevatis in cœlum. Oratione completa, benignum hoſpitem familiariter advocatum in partem ſic alloquutus eſt: Ecce, frater hoſpes, tuis victus precibus, ut manducarem, domum tuam intravi: meis nunc citò monitis acquieſce, quoniam non hic, ſed alibi manducabis: confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus; nec in te remaneat quidquam, quod veridica confeſſione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta devotione ſuos pauperes ſuſcepiſti. Acquievit continuò vir ille ſermonibus Sancti, ſocioque ipſius univerſa peccata in confeſſione detegens, diſpoſuit domum ſuam, & ad mortem ſuſcipiendam ſe quantum valuit, præparavit. Intraverunt tandem ad menſam, & incipientibus aliis manducare, hoſpes ſubitò ſpiritum exhalavit, juxta verbum hominis Dei repentina morte ſublatus; ſicque factum eſt hoſpitalitatis gratia prome- H rente, ut juxta verbum veritatis, Prophetam recipiens mercedem Prophetæ acciperet, dum per ſancti viri prænunciationem providit, quatenus armis pœnitentiæ præmunitus perpetuam damnationem evaderet, & in æterna tabernacula intraret.

Duo ſenes abierunt ab Ægis in Tharſum, venienteſque in ſtabulum, ut requieſcerent (erat enim æſtus) per diſpenſationem Dei invenerunt ibi tres adoleſcentes, habentes ſecum unam meretricem. Senes ergo ſeorſum ſederunt, unuſquiſque ex eis accipiens ſanctum Evangelium legebat. Meretrix verò, quæ erat cum adoleſcentibus, ut vidit ſenem legentem, relictis illis, acceſſit ad ſenem, ſeditque juxta illum. Senex autem illam reiiciens, dixit: Multùm, ô infelix, impudens es, quæ verita non fuiſti accedere ad nos, ac ſedere. At illa: Ne, quæſo, Pater, ne abomineris me, neque abiicias: etſi enim omni peccato plena ſum, non tamen repulit veniētem ad ſe meretricem Dominus, & Salvator omnium Chriſtus Deus noſter. Reſpondit

dit ei ſenex: Sed meretrix non ſic permanſit. Tum ipſa: Spero A in Filium Dei vivi, quia ab hodierno die neque ego permanebo in peccato hoc. Relinquens igitur adoleſcentes, & ſua omnia, ſecuta eſt ſenes iſtos. Miſerunt autem illam in monaſterium propè Æga civitatem. Hanc & ego jam anum vidi magnæ prudentiæ feminam, ex cujus ore iſta didici. Erat autem illi nomen Maria. *Sophron. Prat. ſpirit. c.31.*

POENITENTIA
UT EST AFFECTUS QUIDAM NATURALIS OB BONUM AMISSUM, AUT MALUM COMMISSUM.
SIMPLEX POENITENTIA.

Opinionis falſæ.

Scribit Theophraſtus, Platonem jam ætate provectiorem, quòd non congruum terræ ſedem univerſitatis aſſignaſſet umbilicum, pœnituiſſe. *Plut. in quæſt. Platonicis.*

Cædis.

Olonem tyrannum Danorum Starchaterus pugil fortiſſimus in balnea ingreſſum ex inſidiis obtruncavit. Quo facto tantus perpetrati ſceleris horror fortiſſimi viri animum invaſit, ut penè ſibi ipſi manum intulerit, permanſitque ea læſæ conſcientiæ pœnitudo in ipſo ad extremum uſque vitæ termi- B num. *Jo. Magn. l.8. c.12.*

Engerranus Marinius, aulicorum intimus, apud Philippum Pulchrum Francor. Regem nihil non poterat. Mortuo Rege, premendi hominis princeps inventus eſt ex ipſa regia Carolus Valeſii Comes, novi Regis Ludovici Hutini patruus. Cauſa atrocis odii, quòd dum apud Pulchrum controverſia eſſet inter duos ſummos Normanniæ proceres, Haricuriam, Tancredovillanumque: alteri Engerranus, alteri Carolus aderat. Exorta contentione, exardeſcentibuſque ſtudiis, mentiri Carolum Engerranus dixit. Peculatus reum agere placuit, accuſatore Joanne Annali. Cùm trahitur, ampliaturque cauſa, dicitur deprehenſa eſſe Engerrani uxor, quæ Pavioto Mago præceptore ſimulachrum cereum fingeret, quod levi igni admoveret, ut eo paulatim liqueſcente, perinde ſenſim, ac lenta tabe Rex deperiret. Magi, vero an falſo crimine, gula fracta, & Engerranus furca ſuſpenſus. Ad hoc ſtatua, quæ ad ſummos gradus regiæ poſita ei fuerat, amota. Locus vacuus, baſiſque inanis hodie viſitur. Carolus ſubinde Comes gravi morbo correptus, cùm nec extingueretur, nec ulla ope humana leva- C retur, pœnas defuncto dare diuturno ſupplicio miſerrimè animam trahens videbatur. Nullum igitur erga inopes liberalitatis, nullum in Superos, Templaque, nullum pro Engerrano deprecationis, obſecrationiſque genus omiſit. Tandem vi morbi, quæ in præſens reſederat, rurſus graſſante, nullum religionis munus, nullas cæleſtium pacis impetrandæ partes omittens, exoravit Regem Francum, ut Engerrani propinquis redderetur illius corpus furca refixum: eique amplè, magnificeque ſummaque religione ſuis ille impenſis funus fecit, juſtaque perſolvit, ne morte ſua illi parentaret. Sic quoque continuò obiit. *Æmil. l.8. Fulg.* Enguerram Marignanum vocat.

Defectionis.

Contra Tuſculanos, qui defecerant, Tribunum creaverant Romani Furium Camillum. At Tuſculani errorem callidè avertentes, cùm eſſet jam in expeditione adverſus ipſos Camillus, aratoribus, paſtoribuſque agros, ut in alta pace compleverant, patebant portæ, pueri in ludis operam literis dabant, ex vulgo opifices ſuo quiſque operi intenti conſpiciebantur, ſpectatores in foro obverſabantur togati, magiſtratus ſedulò circumibant ad deſignandum Romanis hoſpitia, tanquam remo- D ti ab omni ſuſpicione eſſent mali, nec cujuſquam ſibi commiſſi conſcii. Quæ res Camillum ad miſericordiam flexit, ita ut ipſis apud Senatum deprecantibus adſtiterit. *Plut. in Camillo, & V. Max. l.7. c.3.*

Deditionis.

Lyſimachus Rex, cùm in Thracia à Dromachete eſſet devictus, atque ſiti ſubactus ſe, exercitumque in poteſtatem ejus dediſſet, ut bibit jam captivus: Dii boni, inquit, quàm brevis voluptatis cauſa ſervum me ipſe ex Rege feci. *Plut. in Apoph.*

Lenocinii.

Lena Milenis in Ciſtellaria Plautina: Inter novam rem, inquit, verbum uſurpabo vetus: Quod dedi, non datum vellem; quod reliquum eſt, non dabo. Significat ſe pœnitere, quod puellæ fecerit copiam: de cætero non facturam. *Eraſ. in Adag.*

Voti.

Lacon voto concepto, ut præcipitaret ſe à Leucate promontorio, poſtquam conſcendit, conſpecta altitudine, recepit ſe. Quod cùm ei improperaretur: Non arbitrabar, inquit, votum illud voto indiguiſſe alio majore. *Plutar. in Apophtheg. Lacon.* E

Doni.

Malcolmus II. Scotorum Rex, bello, & pace clariſſimus, niſi extremam ejus ſenectam immoderata cupiditas contaminaſſet. Pœnitens enim factæ in nobilitatem liberalitatis (quandoquidem agros omnes iis largitus erat) ut erogata prædia reciperet, quæſitis, confictiſque cauſis, quoſdam magnæ dignitatis viros coegit ultima ſubire. *Boethius.*

Imperii acquiſiti.

Maximus, ut inquit Sidonius, præfectura prætoriana, Patricii dignitate, ac conſulatu ſemel, atque iterùm functus fuerat, ac moribus pecunia, literis, patrimoniis, & clientelis ita floruerat, ut nemo illo in urbe conſpectior, nemo in Repub. beatior putaretur. Poſtquam autem interfecto per dolum Valentiniano III. Auguſtus appellatus, ac per eam cauſam Palatinis incluſus liminibus fuit, ante lucem vehementer ingemuit, quòd voti compos factus ſui fuiſſet, uſque adeò ut Imperii pondus peroſus ſæpe dixerit: Felicem te, Damocles, qui regni neceſſitatem non uno longo prandio pertuliſti. *Sigon. l.24. Imp. occid.*

Adoptionis. F

Hadrianus Imp. de Commodo adoptato, & Imperii ſucceſſioni deſtinato dictitare conſuevit: In caducum parietem inclinamus, & perdidimus quater millies ſeſtertium, quod populo, & militibus pro adoptione Commodi dedimus. Caducum autem parietem vocabat, quòd eſſet valetudinarius, & rebus gerendis inhabilis eſſe videretur. *Suet.*

Amicitiæ.

Vortigenus Britannorum Rex, Hengiſto, & orſa Saxonum Ducibus contra Pictos, atque Scotos evocatis, eorumque felici opera uſus, cùm novas ſubinde Legiones è Saxonia peteret, Hengiſto ſummam rerum committeret, Roxienam ejus filiam repudiata Regina duceret, tandem facti pœnitens, cùm Hengiſtus non obſcurè regnum Cantii ſibi uſurpaſſet, à proceribus in vincula conjectus eſt. *Boeth. l.8.*

Sceleris non patrati.

Gabrinus Fundulus Cremonenſium tyrannus à Philippo Vicecomite Mediolanenſium aſtu captus, productuſque in forum Mediolani, capite plectendus, cùm ad pœnitentiam malefactorum admoneretur: Tantum, inquit, abeſt, ut me jure belli factorum pœniteat, ut maximè etiam doleam, G quòd Joannem XXIII. Pont. & Sigiſmundum Imp. hoſpitio, & convivio exceptos, ad immortalem clariſſimi facinoris famam, è mea turri altiſſima minimè præcipitaverim. *Fulg. l.9. c.11. & Jovius in Philippo.*

Circa ann. ſal. 1425. gelu fuit, ut equites à Gedano Pruſſiæ Lubicam per mare tranſirent incolumes. Ferunt & è Magnopoli in Daniam glacie tum ſtratum ſtetiſſe mare. Narrant poſt illud tempus Prigniſſæ milites, latrociniis nobiles, feriò pœnituiſſe, quòd non ad æternam nominis memoriam, equis mare tranſeuntes, pecora inde abegerint. *Crantz. l.11. c.10. Sax.*

* POENITENTIARIUS.
QUIS. ET QUOD ILLIUS MUNUS.

Eſt in Cathedralibus Eccleſiis poſt Archipresbyterum Pœnitentiarius. De quo *ſacroſanctum Conc. Trid. ſeſſ.*24. *cap.*8. hunc in modum ſtatuit: In omnibus etiam Cathedralibus Eccleſiis, ubi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ, proximè vacaturæ, ab Epiſcopo inſtituatur; qui Magiſter ſit, vel Doctor, aut Licen- H tiatus in Theologia, vel jure Canonico, & annorum quadraginta, ſeu aliàs, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum confeſſiones in Eccleſia audiet, interim præſens in choro cenſeatur.

Quæ poſtrema verba Sacra Congregatio interpretata eſt in hunc modum. Si Pœnitentiarius ex vi hujus decreti deputatus, renueret Confeſſiones audire, puniri deberet ab Epiſcopo, & cogi ut officium ſibi injunctum exequatur.

Pœnitentiarius habendus eſt pro præſente in choro, dum audit confeſſiones in Eccleſia, ſive in Confeſſionario ſive extra. Illo autem tempore, quo reſidet in Confeſſionario, nec audit confeſſiones, aliis in choro divina celebrantibus, aut recitat Officium privatè, & ſi non celebraverit Miſſam, non eſt cenſendus eſſe præſens in choro.

EJUS FACULTAS RESTRINGITUR.

Non poteſt Pœnitentiarius Canonicus cogi ad majorem reſidentiam, quàm alii Canonici, qui per tres menſes abeſſe volunt, dummodo non abſit tempore, quo frequentius pœnitentes accedunt. Et diebus feſtis ſolennibus, veluti tempore jejuniorum

niorum Quadrageſimæ, & Adventus, quatuor anni Tempo- A rum, Reſurrectionis, Aſcenſionis, &c.

Pœnitentiarius non poteſt abſolvere quempiam à caſibus, quos Epiſcopus ſibi expreſsè reſervaverit, niſi ipſemet Epiſcopus hanc illi ſpeciatim dederit facultatem. Nec ſufficit quæcumque præſumptio.

ORIGO.

De prima hujus muneris in Eccleſia inſtitutione, & origine ita ſcribit *Onuphrius Panvinus*. Ex Presbyteris Romanæ Eccleſiæ quidam ſuper pœnitentes conſtituti ſunt à Simplicio Papa, ut his verbis docet Bibliothecarius: Hic conſtituit ad SS. Petrum, Paulum, & Laurentium, hebdomadas, ut Presbyteri ibidem manerent propter pęnitentes, & baptiſmum: regionem tertiam ad S. Laurentium, primam ad S. Paulum, & ſextam, vel ſeptimam ad S. Petrum. Hi Presbyteri pœnitentium vocati ſunt, qui eorum exomologeſes audiebant. Quorum primus major Pœnitentiarius dictus, hodie eſt Cardinalis, reliqui minores Pœn tentiarii, non Cardinales, vocati.

POESIS. POETICA. POETA.

Primi homines, quia agreſtes erant, & inculti à ſapientibus non verò ſola oratione, ſed & jucunda, ad vitam manſuetiorem traduci potuere. Jucunditas orationis alia Rhetorica B *eſt, alia Poetica: ſed hæc tantò excellentior, quòd præter phaleras ipſas cum Rhetore communes, figmenta multa, cum quodam* ἐνθουσιασμῷ, *& afflatu extraordinario, & prope divino cujus opinione rudes animi vehementer percelluntur: adhibere videtur. Eapropter Poetæ* ἀπὸ τοῦ ποιεῖν *nomen traxere, vel quia primi opus literarium tum viva voce, tum ſcripto ediderint: vel quia materiam ſubjectam communem Logico, & Rhetori, ex media Philoſophia, hominumque vita petitam, materia propria, fabulis ſcilicet, velare, illuſtrare, exornare norint. Quo ergo plura in Poeta requiruntur, quam in Rhetore, eo quoque operoſior eſt facultas: & quia naturæ potius bonitate, quàm ſtudio, & diligentia nititur, divini ſpiritus in hominem transfuſi quædam veluti propago videtur eſſe. Hinc illud, eſt Deus in nobis:* καὶ αἰδοῖοι ὡς σφόδρα εἰδότες, *dicti putantur. Ipſa alioqui artis conſtitutio, certis præceptis comprehenſa, non inſcitè* τῇ ῥητορικῇ ἀντίστροφος *dici poterit, quemadmodum Ariſt. Rhetoricam Dialecticæ* ἀντίστροφον *eſſe pronunciavit. De cujus natura, cauſis, effectibus diſputare, alterius eſt loci: quandoquidem hic* C *exempla tantùm conſiderare inſtituimus.*

Poetarium hiſtoriam Pet. Crinitus, & quidam aliis ſcripſerunt, abſolutiſſimè verò Lilius Gregorius Gyraldus, cujus nos auctoritatem ferè ſequimur, qui Poetas in certas claſſes reſpectu formæ, diducit, in Epicos nimirum (ſub quibus Jambos, & Elegias cum Hexametro) in Scenicos (ſub quibus Tragœdos, Comœdos, & Mimos complectitur) & in Lyricos. Iidem verò, ſubjecti merito, dividi poſſunt in ſacros, & profanos. Sacri rurſus in Chriſtianos (quorum ſcripta Georgius Fabricius *accuratè collegit) & Ethnicos. Profani in Medicos, Philoſophos, Hiſtoricos, & ſimiles. Nos utramque rationem ſequemur, ita quidem, ut à ſubjecto principe, quod præ cæteris coluit, & in quo potiſſimùm excelluit, claſſem poeta ſortiatur. Sic Maronem inter poetas Epicos referimus, propter Æneida, quamvis Eclogas, & Bucolica, & Epigrammata ſcripſerit: Horatium inter Lyricos, licèt in ſacris quoque excelluerit.* Jul. Cæſ. Scalig. lib. 1. Poet. c. 2. Poetarum, *inquit, modi tres: ſecundùm ſpiritum, ætatem & ſubjectum. Spiritu diverſos eſſe ait tum Plato, tum Ariſt. Alios enim naſci tales, alios natos vel rudes, vel etiam feros, atque averſos, furore rapi, atque abſtrahi à vulgari materia, deorum opera: qui diis ipſis, tanquam* D *miniſtris, utantur. Itaque idem Plato eos, &* ἱερωλίας, *&* ὑπηρέτας *deorum vocat in Jone. Idcircò igitur invocant poetæ Muſas, ut furore imbuti peragant, quod opus eſt. Horum autem* θεοπνεύστων *duo adhuc ſunt genera. Unum, cui cœlitùs advenit illa divina vis, aut ultrò, nec opinanti, aut ſimpliciter invocanti. Quo in numero ſeipſum ponit Heſiodus: Homerus autem ponitur ab omnibus. Alterum acuit meri exhalatio, educens animæ inſtrumenta, ſpiritus ipſos, à partibus corporis materialibus. Talem ait Ennium Horatius: talem nos Hotium. De Alcæo, & Ariſtophane idem memoriæ proditum. Nec Alcman caruit ea calumnia. Sophoclem quoque Æſchylo id objeciſſe, Vinum, non ipſum eſſe illius auctorem tragœdiarum. Ab ætate autem tria genera. Vetus illud priſcum, rude, incultum: quod ſui tantùm ſuſpicionem, ſine nominis memoria, reliquit, niſi in eo, tanquam principem, Apollinem cenſeamus. Alterum illud venerandum, à quo primùm Theologia & Myſteria. Inter quos Orpheus, Muſæus, Linus: Olympum quoque inter vetuſtos Plato nominat. Tertii ſeculi Homerus auctor, & parens: Heſiodus quoque, & alii. Quanquam, ſi hiſtoriæ non extarent, putare potueris, Muſæum Homero juniorem: adeò ille cultior, & politior eſt. Oræbantium quoque Træzenoum, itemque Phrygium Dareta ante Homerum floruiſſe ſcri-* E *bit Ælianus: ſuiſque temporibus illius Iliadem in honore habitam. Ante Orpheum quoque, & Muſæum idem auctor eſt, fuiſſe Syagrum poetam, qui Trojanum bellum primus ſcripſerit. Tertiæ claſſis poetæ à profeſſione, quod Græci* ἀποκείμενον, *Barbari Philoſophi ſubjectum rectiſſimè: Latini paulò ſupinius, Argumentum vocant. Horum tot ſunt genera quot res ipſæ. Artis tamen gratia ad ſumma tria faſtigia reducuntur. Primum eſt Theologorum: cujuſmodi Orpheus, & Amphion: quorum opera tam divina fuerint, ut brutis rebus etiam mentem addidiſſe credantur. Secundùm genus Philoſophorum: idque duplex. Naturale, quales Empedocles, Nicander, Aratus, Lucretius: Morale ſecundùm ſuas partes, ut Politicum ab Solone, & Tyrtæo. Oeconomicum ab Heſiodo: commune à Phocylide, Theognide, Pythagora.*

---

* Poeta.

F

* DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

POeta, Græca dictio eſt, ποιητὴς, & ποιητικὸς, poeticus dicitur. Quid autem ſit poeta, innuitur ab Horatio Sermonum 1. dicente,

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

Sanè poeta dici Latinè poteſt factor vel fictor: nam à ποιέω quod eſt facio vel fingo, derivatur: & cum apud Græcos prima ſit diphthongus οι, nos abiicentes ι, retinemus ο, euphoniæ cauſa. Ne converſi in œ diphthongum, quæ apud nos ſonum habet ſolius e, & cum ſimpliciter ſecunda ſit e, diſſonantiam ſoni conficere videretur.

Poetæ nomen inde propagatum ſcribit Euſtachius, quod ποιεῖν ſignet ἔμμετρος, cantare, vel ſcribere. Fabius Quintilianus, inquit, perito quodam initio infuſum, & aurium menſura, & ſimiliter decurrentium ſpatiorum obſervatione eſſe generatum, mox in eo repertos pedes. Ariſtoteles poeſin ex imitatione natam primum oſtendit: quoniam imitandi ſtudium ſit ab ineunte ætate homini innatum, & eo à brutis dif- G ferat. Mox ſubdit, ad metrum natura proclives maximè paulatim produxiſſe poeſin, ac genuiſſe, ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων quod non aliud ſonare videtur, quàm ex rudi principio. Ex hac imitandi ratione, unde poeſis ortum ducit, divulſa, diſparataque ars eſt, ac abiit quodammodo in membra plura, ſicuti hymnos alii, & laudes concinnarunt, alii lyrici, alii comici, quidam tragici vocantur, communi nomine omnes poetæ Lyrici dicti, quòd ad Lyram eorum carmina concinuntur, ut Pindari principis in hoc genere. Monodorum peculiare eſt, ſub una tantum perſona argumentum explicari quodlibet, quod illi dicunt μονοπροσώπως ἀφηγεῖσθαι. Eſt enim monodia cantus lugubris: Comicorum, riſus eſt proprius cum choris, & perſonis: Tragicis familiaris eſt miſeria, & calamitas. *Cælius l. 7. Antiq. lectio. c. 4.*

POETICES ENCOMIA.

☞ *Vide infra Poeticæ honor, Amor, &c.*

Sapientiſſimi, qui de poeticis quicquam eloquuti ſunt, primam quandam philoſophiam poeticam eſſe aſſerunt. Antiqui verò poeticam primam philoſophiam quandam eſſe perhibēt, quæ ab ineunte nos ætate ad vivendi rationes adducit, quæ mores, quæ affectiones edoceat, quæ res generoſas cum jucundita- H te præcipiat: poſteriores verò ſolum poetam ipſum ſapientem eſſe aſſeruerunt. Quamobrem Græcorum civitates, ab ipſo primordio, eorum liberos in poetica erudierunt: non utique voluptatis, ſed caſtæ moderationis gratia. Nunquid & poetarum authoribus nihil confert ad virtutem, ut locorum multorum, & militiæ, & agriculturæ gnari exiſtant? *Strabo.*

Denique credamus ſummis Oratoribus: qui Veterum poemata vel ad fidem cauſarum, vel ad ornamentum eloquentiæ aſſumunt. Nam præcipuè apud Ciceronem, frequentius tamen apud Aſinium etiam, & cæteros qui ſunt proximi, vidimus Ennii, ac Pacuvii, Lucii, Terentii, Cæcilii, & aliorum inferri verſus ſummæ non eruditionis modo ſed etiam jucunditatis gratia: cùm poeticis voluptatibus aures à forenſi aſperitate reſpirent. Quibus accedit non mediocris utilitas cum ſententiis eorum velut quibuſdam teſtimoniis, quæ præpoſuere, confirment: *Quint. lib. 1.*

Plurimùm dicit Oratori conferre Theophraſtus lectionem poetarum, multique ejus judicium ſequūtur, neque immeritò: namque

namque ab iis, & in rebus ſpiritus, & in verbis ſublimitas, A & in affectibus motus, & omnis decor petitur, præcipuèque velut attrita quotidiano actu forenſi ingenia optimè rerum talium blanditia reparantur. Meminerimus tamen non per omnia Poetas eſſe Oratori ſequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum genus oſtentationi comparatum: & præter id, quod ſolam petit voluptatem, & eam non falſa modò fingendo, ſed etiam quædam incredibilia ſectatur, patrocinio quoque alieno juvari, quod alligari ad certam pedum neceſſitatem, non ſemper uti propriis poſſint, ſed repulſi à recta via, neceſſariò ad eloquendi quædam diverticula confugiant: nec mutare quædam modò verba, ſed extendere, corripere, dividere cogantur. Nos verò armatos ſtare in acie, & ſummis de rebus decernere, & ad victoriam niti decet. *Hæc Quint. lib. 10. c. 1. de copia verb.*

Poetarum optimæ ſententiæ diſcendæ, & quæ alii viri eloquentes viriliter præceperunt, legenda ſunt: nam ut apes videmus omnibus quidem floſculis inſidere; ſed de ſingulis utilia carpere: ſic eruditionis comparandæ ſtudioſus nihil inexploratum relinquere, ſed undique colligere debet. *Iſocrat.* B *in Parænesi ad Demonic.*

ENNIUS ſanctos appellat Poetas, quòd quaſi aliquo Deorum dono, atque munere commendati nobis eſſe videantur, proinde minus mirum ſi non alium eſſe poetam, quàm virum bonum, ſtatuunt prudentiores. Adeò autem multiplex poetarum eruditio eſt, adeò neceſſaria, ſummis conjuncta emolumentis, ut nec deſint, qui ſolutam orationem poetices videri imitationem, argumentis aſtruere nitantur, ceu poetæ primùm prodierint. mox qui metrum ſolverint, Cadmus, Pherecyde, Hecatus quod prima in Homerum ſcribit commentatione Euſtathius. Et quia genus id orationis magnitudinem habet, ac ſublimitatem, eſtque ἔποχον, id eſt, equo vehitur, inde quæ talis non eſt oratio, ex humilitate pedeſtris dicitur, ut quæ ex alto in ſolum ſit delapſa paulatim, ita ut Rhetoricæ elocutionis, & artis dicendi fons, ſit ipſa poetica. *Cic. in orat. pro Archia poeta.*

Plato in l. 2. de Repub. poetas Deorum filios vocat: in Lyſide adeò poetas admiratur, ut eos ſapientiæ patres nuncupet, ac duces. Et in Jove carminis excellentis poetam non arte fieri ſcribit, ſed afflatu diviniore. Immò verò, inquit: C Muſa divino inſtinctu concitat poetas: conciti poetæ, alios furore corripiunt, ut fiat annulorum quodam modo mirus ordo, qualem creditur magnes efficere. Addit & paulò poſt: Nil aliud eſſe poetas, quàm Deorum interpretes; dum afflantur furore. Porrò idem in Phœdro ſcribit, non hominum eſſe inventa præclara poemata, ſed cœleſtia munera. Argumento illud eſſe, quòd nemo etiam ſi orbem illum doctrinarum obierit, accuratiſſimè excellens evaſerit poeta, ni cæleſtis ille vigor, & concitatio aceeſſerit ferventior: ut vera fiat illa aſſertio *ex Faſt. 6.*

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Hanc divinitatem poeticam & Democritus aſtruxit. Plato item in Cratylo ſcrutans, qui ſunt verorum nominum Doctores, Sophiſtas irridens poetas cenſet adeundos, nec quoslibet etiam ex trivio, ſed divinos. Ceu à diis hi planè didicerint nomina rerum vera, apud quos ea demum reperiantur.

D

* DE POETIS, EORUMQUE CARMINIBUS, JUDICIA VARIA POETARUM.

Horat. epiſt. lib. 2. epiſt. 1.

Os tenerum pueri, balbumque poeta figurat,
Torquet ab obſcœnis jam nunc ſermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis, &c.

☞ *Vide infra Poeticæ uſus.*

Ovid. l. 2. artis amandi.

Carmina laudantur, ſed munera magna petuntur,
Dummodo ſit dives, barbarus ipſe placet.
Ipſe licèt venias Muſis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras,

Idem lib. 3.

Quid petitur ſacris, niſi tantum fama poetis
Hoc votum noſtri ſumma laboris habet.
Cura Ducum fuerant olim, Regumque poetæ,
Præmiaque antiqui magna tulere chori,
Sanctaque Majeſtas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ ſæpè dabantur opes.
Ennius, & meruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus pene Scipio magne tibi. E
Nunc hederæ ſine honore jacent, operataque doctis
Cura vigil Muſis nomen inertis habet.
Sed fama invigilare juvat quis noſſet Homerum,
Ilias æternum ſi latuiſſet opus?
Adde quod inſidiæ ſacris è Vatibus abſunt,
Et facit ad mores ars quoque noſtra bonos.
Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli:
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Idem Ovid. eleg. ult. lib. 1. de art.

Ergo cùm ſilices, cùm dens patientis aratri
Depereant ævo, carmina morte carent.
Cedant carminibus Reges, Regumque triumphi:
Cedat & auriferi ripa beata Tagi.

* POETARUM SORS DURA, ET MISERA.

Heu miſeram ſortem, duramque à ſidere vitam!
Quam dat doctiloquis Vatinus ipſe Deus.
Sive Deus, ſeu fata ferant: ſeu noſtra voluntas,
Sunt miſeri, ingeniis qui micuere ſuis.
Virgilius patrios miſerando perdidit agros,
Et ſervus ſtabilis factus in urbe fuit. F
Proſcriptus Geticas habitavit Ovidius oras,
Et procul à patria barbara regna tulit.
Tarpejæ inviſus fuerat ſed Horatius urbi,
Solus Mecœnas verus amicus erat.
Aſt ego Germano, qui primus in orbe poeta,
Cui ſcripta eſt multis patria carminibus,
Et virtus laudata bonis ſcelera exagitata,
Quæ pia poſteritas non ſine laude canet:
Me miſerum quoties injuria facta laceſſit,
Innocuam vitam commaculare ſtudens,
Forſitan hæc nobis Deus ad meliora paravit,
Ut pateat vitæ candida fama meæ.
Accedit noſtris ingens nunc pondus ærumnis,
Infirmus lecto volvar ut ipſe meo.
Jamque miſer taceo cunctis deſpectus amicis,
Dum me pauperies vexat, & atra lues.
Scilicet adverſis rebus ſe prodit amicus,
Ignotus lætis qui mihi rebus erat.
Sol us ades, noſtros poteris qui auferre dolores,
O Fuſemane, malis unica cura meis. G
Te mea Muſa rogat, quæ te ſuper æthera tollit.
Pollicita ut Regis tam mihi ſumma fiet:
Ni faciet, veniet mea ſub fora chara ſupellex,
Ut mihi jam miſeros comparet ore cibos.

Eandem miſeriam ita Campanus decantat.

Vade, quà ſemper populi vagantur,
Quæ manu ramis capiunt ab altis,
Quæ Notus ſpirat tenui ſuſurro
Vellera Seres.
Vade per ſylvas Arabum beatas,
Qui vident Phœbum gelidas ad Arctos;
Qui bis æſtatem, totieſque brumam
Exhibet annus.
Aut agros Nili madidos calentis
Per gradum ad ſummos Zephyri volatus.
Quære per totum ſtudioſus orbem
Dive Tridente.
Tu genus nullum reperis ſub ipſo
Syderum lapſu inferius poetis,
Vilius ſacris nihil eſt Camœnis H
Tempore noſtro.
Quid manum prodeſt ferulæ minantis
Tot pati pœnas teneris ſub annis,
Et metu ſequi Samium bicorni
Tramite callem?
Quid juvat longas vigilare noctes,
Igne ſecerni borea furenti,
Ducere & mœſta juvenilis ævi
Tempus in umbra?
Scribimus longos veterum triumphos,
Conſulum faſces, equitumque pugnas.
Carpimus luxum: pariter docemus,
Dogmata vitæ.
Vivit Argoæ dominus carinæ,
Rectoris vivit domitor ſuperbus,
Vivit Actææ ſuperator arcis
Carmine Minos.
Phyllidis triſte lachrymantis umbra,

Pyramum

Pyramum Thysbes miſerum clamantis,
Et piæ durum Halcyonis amorem
Carmina ſervant.
Liberatorem patriæ Camillum,
Qui Numantinos, Numidaſque vicit,
Quique Cimbrorum domuit feroces
Milite turmas.
Carmen everſas Babylonis arces,
Ilii muros, Tyriæque Thebes,
Alteram Theben penitus ruentem
Stare coegit.
Nemo tam claro genitus parente,
Nemo tam clara probitate fulſit,
Mox edax quem non perimit vetuſtas,
Vate remoto.
Sed ſui nunquam pretium laboris
Sentiunt Vates, alios, & aurum
Veſtit & gemma: miſeris Poetis
Trita lacerna eſt.
Pictor ex pictæ pretio figuræ:
De tuba vivit tubicen canora:
Paſcit ars omnes: ſua ſola damno
Muſa Poeta eſt.
Jam palus triſtes retinens arenas,
Eſt, ubi fontes fuerant Meduſæ.
Jam ruit rupes tibi ſacra quondam
Mitis Apollo.
O duces magni, ingeniique reges!
Imperatores, equiteſque clari!
O boni damnoſam Heliconis omnes
Flete ruinam!
Ergo ſi miſera eſt Vatum fortuna, valete
Vos meæ Pierides, ad fora regredior,
Jam ſatis indultum, ſteriles ſat verba dediſtis,
Utiliora fori jurgia triſtis erunt.
Exercete dolos, ſævaſque intendite lites:
Ad veſtrum redeo peſſima turba forum.

Contemptus, Odium Poesis.

☞ *Quære infra Tit. Singularem.*

* POETARUM APOPHTHEGMATA.

Ac primum Ethnicorum.

Georgias dicebat tragœdiam eſſe deceptionem, qua qui alterum decepiſſet, juſtior eo, qui non decepiſſet: & qui deceptus eſſet, ſapientior foret, qui non eſſet deceptus. Fallit enim tragœdia tractans argumenta conficta, ſed adeò ſcitè, ut vera credantur. Juſtior autem ille videtur, qui fallendo prodeſt: ſapientior eſt, qui per fictas fabulas diſcit, quid ſit turpe, quid ſit honeſtum. *Plut. de Poetis audiendis.*

Lacones nec comœdias, nec tragœdias Poetarum audiebant, utpote in quibus contra omnes leges, ſtupra, inceſtum, adulteria, injuriæ, furta, cæteraque flagitia exprimantur. Nec placuit his quorundam excuſatio, qui fabulas ad voluptatem fingi, non ad fidem veri dicunt: cùm hæc voluptas imbellium animos corrumpat. Hanc ob cauſam Archilocum Poetam, cùm veniſſet Lacedæmonem, ea hora expulerunt: quod intellexerant ab illo ſcriptum, ſatius eſſe abiicere arma, quàm mori. *Plut. in Lacon.*

Lacedæmonius quidam percontanti, quid ipſi videretur Tyrtæus Poeta? Bonus, inquit, ad depravandos juvenum animos. Quemamodum Plato judicabat Homeri poeſin inutilem eſſe Reipublicæ, qualem inſtituere volebat: ita Lacedæmonii non recipiebant Poetas, qui blanda ſcriberent potius quàm ſalubria. *Idem.*

Demonax: Admeto Poetæ inſulſo, jactanti, epigramma monoſtichon, quod teſtamento mandaſſet ſuæ addendum ſtatuæ (carmen erat:

Corpus humi tegitur, Admetus ad Aſtra volavit.)

Reſpondit, adeò ſibi placere carmen, ut magno emptum cuperet, ſi jam nunc eſſet aſcriptum. Recte optans illi mortem, qui vita indignus erat. *Eraſm. lib. 8. apoph.*

Actus Poeta interrogatus, cur non ageret cauſas, cùm in tragœdiis optimè tractaret argumenta: Quoniam, inquit, in tragœdiis ea dicuntur, quæ ipſe volo: in foro adverſarii dicerent, quæ minimè vellem. Idem fit in dialogis, ubi qui ſcribit opus, unicuique tribuit orationem qualem putat eſſe commodam, in judiciis ſecus fit. *Idem lib. 6. apoph.*

Euripides cuidam dicenti, Carmen condidiſti ex modis ad tripudium accommodis: alio dictum hoc ridente, Ni ſtupidus eſſet, inquit, non riſiſſet, quòd res ſerias Lydiis modis temperarim. Lydii modi laſciviores ſunt. Porrò quæ per ſe triſtia ſunt, ea decet arte exhilarare. Refert hoc Plutarchus libello περὶ τοῦ ἀκούειν. Cùm Euripides choream agentibus ſuccinuiſſet cantionem quandam modulatam, unus illorum riſit. Cui Poeta. Niſi ſtupidus eſſes, & expers affectuum, haudquaquam riſiſſes, me canente mixolydium. *Eraſm. 6. apoph.*

☞ *Plura ex ſequentibus Titulis eruentur.*

Christianorum.

Ubi, & de pretio Poeticæ.

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poetæ.
Aut ſimul & jucunda, & idonea dicere vitæ,

dixit *in arte Poet. Horatius*. Quare non immeritò ſummo honore pariter, & amore eos proſecutus legitur Alphonſus. Nam cùm Parthenopen iter faceret, veniſſetque ad eum locum unde Sulmo videri poterat, eamque Ovidii patriam intellexiſſet; urbe ſalutata. Ego, inquit, huic regioni, quæ non parva regni mei Neapolitani pars, lubens cedam, ut Poetam hunc habeam: quem, licèt mortuum, pluris faciam, quàm Aprutii dominatum. *Spieg. in l. 1. Panor. de Geſt. Alphon. c. 47. Beyerl. in Apoph. Chriſt.*

Carolus IX. Franc. Rex, quoque fovere eos ſolitus, qui in poeſi excellerent, eiſque præmia largiri: minùs ampla tamen, ut ſemper nova meditantes, ſæpiùs redirent. Dicebat autem, poetæ equis generoſis ſimiles, quos nutrire oportet, non ſaginare. Meminerat fortaſſis illius Perſii in Prologo:

Quòd ſi doloſi ſpes refulſerit nummi;
Corvos Poetas, & poetridas picas,
Cantare credas Pegaſejum melos. *Annal. Franc.*

Thomas Morus, Muſarum caſtra ſecutus, aliquando, receperat verſus quoſdam à filia ſua Margareta conſcriptos, iiſque lectis, dicebat: Singulos hos verſus non ſingulis aureis, quod Cherilo fecit Alexander; ſed ſi animo par eſſet facultas, ſingulas ſyllabas unciis binis auri compenſarem. *Ex Thom. Staplet. in vita, c. 11. Beyerlinck in Apoph. Chriſt.*

Quis non ergo appoſitè, & eleganter reſpondiſſe fatebitur quemdam poetam, qui Adrianum VI. Pont. Max. crebris verſibus, quorum in locum ipſe nummos aliquando rependerat, ſalutabat. Dicenti namque ſibi Adriano, eò quòd toties rediret, & eadem encomia mutato metri genere offerret:

Deſine pro numeris nummos ſperare Poeta;
Carmina ſi dederis, carmina reddidero.

ille inexſpectatò, miro cum lepore, liberiùs tamen, ut ingenia illa ſunt, ſubjecit:

Ni tibi pro numeris nummos Fortuna dediſſet,
Non eſſet capiti tanta corona tuo.

L. Beyerlinck Apoph. Chriſt.

☞ *Vide infra Tit. Poetices Studium. Amor. §. Commoda Poetis data. Pecuniæ, Munera.*

POETICÆ INVENTORES.

Poeticæ origo admodùm vetuſta eſt, & *teſte Euſeb. in l. 11. de præp. Evang.* apud antiquiſſimos Hebræorum, qui multò ante Græcorum poetas fuere, primùm floruit. Nam Moyſes magnus Hebræorum Imperator, cùm ex Ægypto eos in patriam reduceret, ſtatim atque mare rubrum tranſgreſſus eſt, divino numine afflatus, hexametrum carmen, quo Deo gratias ageret, edidit. Deinde David ille divinitùs Dei vates vario metro hymnos compoſuit. *Joſeph. l. 1. & 7. Ant.* Non immeritò igitur hujus artis initium Hebræis acceptum referre debemus, veluti reliquarum propemodum diſciplinarum. *Polyd. l. 1. c. 8. de invent.*

Clonas elegus poeta, & epicus, tibicinicas regulas, & concentus conſtituiſſe memoratur primus, ſicuti Terpander citharœdicas leges principes omnium perveſtigaſſe narratur Elegias; heroica item carmina Polymneſtus Colophonius. Sunt tamen, qui elegum carmen primitùs enunciatum tradant à Naxio quodam Theocle furente, ſive is fuerat Eretrienſis: aut ab Callinoo, ſicut Terentiano placet: ac inde ab Horatio dictum eſt in arte poetica, ex hac opinionum inter auctores inconſtantia:

Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Cœlius l. 8. c. 3. Antiq. Lect.

Pierus Macedo, quòd primus & poema feciſſe, & filias, quibus Muſarum nomina indiderat, inſtituiſſe dictus eſt, creditus fuit ab aliquibus Muſarum pater. *Scaliger. l. 1. Poet.*

Thalia Comœdias, Melpomene Tragœdias reperit, Meſon Comicus Perſona, Dithyrambus Thebanus verſus Dithyrambicos, Daphnis paſtor carmen Bucolicum. *Cælius lib. 13. cap. 34.* Phemeone carmen hexametrum, Archilochus Jambum non invenit, multò enim antè in Margite Homerus eo uſus dicitur ſed ad novum maledici genus traduxit.

Perſæ bello Græciam cùm premerent, Dianæ Caryaridis ſacra, à virginibus fieri ſolita ſunt intermiſſa. Quocirca Agreſtium aliquod in fanum, officii ergo ſeſe intulerunt, & peculiaribus cantiunculis Dianæ laudes dixere. Quos cantus cùm valdè probari, vel religio juſſiſſet, vel numerorum lepos perſuaſiſſet: ex caſu mos, deindè etiam lex facta eſt Bucolico carmini. Caryatidis autem cognomentum à Laconiæ vico, cui Cariæ nomen erat. Ex quo verbum quoque ſaltationis καρυατίζειν. quem modum edocti fuiſſent ab regionis illius principibus Caſtore, & Polluce. Nonnulli Oreſtem ajunt è Tauris Dianæ ſignum deferentem, oraculo monitum, elui debere ſeptem fluviorum de uno fonte erumpentium aqua. Inventis in Italia amnibus propè Rhegium, inde in Siciliam profectum, in pago, quem Tyndaridem vocat Strabo, deæ ſignum ſtatuiſſe, & numinis laudes unà cum agreſtibus, à quibus receptus fuerat, non ſine carminibus inſtituiſſe. Aliam præterea afferunt fabulam. Syracuſis orta ſeditione, mutuis utrimque cladibus exercitam occiſionem, ab iis, qui reliqui bello fuiſſent, Dianæ placandæ conſilium initum: ad quam civitatis calamitatem, tanquam auctorem referebant. Itaque Agreſtium frequentia, deæ templum donis auctum. Numineque & his, & cantionibus pacato, initium factum anniverſariæ feſtivitatis: ac propterea Dianam Lyam cognominatam. Contrario ſanè uſu, atque accepimus nos. Luem namque morbum dicimus, cujus vi corpora ſolvantur. Illi ita deam nuncuparunt, propterea quòd inteſtinam diſcordiam ſuſtuliſſet. Alii cognomen hoc, ut & fatentur, & attribuunt, ita rationem, cauſamque aſſignant aliam. Ante Hieronis regnum gravi morbo cum laboraret inſula, ad averruncandam numinis iram ludos paſſim per agros, in quos captandæ liberioris auræ gratia ſeſe contuliſſent, inſtitutos, Dianamque tum ea de cauſa Luem, quæ morbum luiſſet, appellatam. Dicti inde βωκολιασταὶ, qui hoc carminis genere, vel per ſe, vel certando cum alio uterentur. *Scaliger lib. 1. Poet. cap. 4.*

Alcmam poeta Lyricus, Laconicus, ſive Meſſenius, circa Olympiadem vigeſimamſeptimam, inventor amatorii carminis, ſcripſit lingua Dorica. *Suidas apud Volater. lib. 13. cap. Anthrop.*

Arion Methymnæus Lyricus, Olympiade trigeſimaoctava vixit, Tragici carminis inventor, Chorum inſtituiſſe dicitur. *Suidas.*

Æschylus Tragicus Athenienſis, primus Tragœdias protulit. Subtilis eſt, & gravis, & grandiloquus ſæpè, uſque ad vitium. *Quintil. lib. 10. c. 1. & Volat. lib. 13. Antrop. cap. 3.* Chameleon Æſchylum, inquit, primum choros formaſſe, nullis uſum magiſtris, & choris ſaltationum figuras feciſſe, omnemque prorſus tragœdiarum apparatum illi tribuit. *Athenæus lib. 1. cap. 16.*

Ἀρχιλόχου μέλος: id eſt, Archilochi cantio, dicebatur hymnus, qui ad multos poterat accommodari, qualem ferunt Archilocho fuiſſe repertum. Nam cùm Pindarus, & alii hoc genus lyrici, ſingulos propriis laudibus exornarent, Archilochi carmen erat idem in omnes, quod cithara canebatur citharœdus tantùm ad ſingula cantionis intervalla, victorum nomina voce ſua repetebat: veluti ſi Herculem laudabat, accinebat: Tenella Callinice, χαῖρ' ἄναξ ἡράκλεις. aut aliud, ſi quem alium canebat. *Eraſmus in Adagiis.*

Nænia carmen erat lugubre, quod in laudem mortui ad tibiam canebatur à præfica ſola, cæteris flentibus: cujus inventorem Horatius Simonidem poetam fuiſſe ſignificat.

Pratinas Phliaſius tragicus, primus Satyras docuit. *Suid.* Euripides primus fabularum principiis argumenta inſeruit. *Gyraldus.*

Aristophanes Comicus, Rhodius, ſive Lyndius, tetrametri, & octometri carminis inventor. *Suidas.*

Pompejus Feſtus ſcribit Claudiana tonitrua appellari, quia Claudius Pulcer inſtituit, ut poſt ſcenam lapidum conjectus ita fieret, ut verorum tonitruum ſimilitudinem imitarentur. *Cæl. lib. 8. c. 8. Antiq. Lect.*

Feſcennini carminis ortum *Horat. lib. 2. Ep. 1.* Agricolis veteribus tribuit, inquiens:

Agricolæ priſci, fortes, parvoque beati,
Condita poſt frumenta, levantes tempore feſto
Corpus, & ipſum animum, ſpe finis dura ferentem,
Cum ſociis operum, & pueris, & conjuge fida
Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus, & vino Genium memorem brevis ævi,
Feſcennina per hunc inventa licentia morem,
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit:
Libertaſque recurrentes accepta per annos
Luſit amabiliter: donec jam ſævus apertam
In rabiem verti cœpit jocus, & per honeſtas
Ire domos: impunè minax. Doluere cruento
Dente laceſſiti; fuit intactis quoque cura.
Conditione ſuper communi: quin etiam lex,
Pœnaque lata malo, quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi. Vertere modum, formidine fuſtis
Ab bene dicendum, delectandumque redacti.

POETICÆ MAGISTRI, PRÆCEPTORES, DOCTORES, VIVA VOCE, SCRIPTO, Exemplis.

Extant apud Homerum formæ Tragœdiæ, actiones grandes, & à communi opinione alienæ, deorum apparitiones, orationes ab elato animo profectæ, quibus quævis ingenia, quivis mores exprimantur. In ſumma, nihil aliud ſunt Homeri poemata, quàm fabulæ, quæ in ſcena agantur. Graves proponuntur res, eæque amplificatæ verbis, ſententiis, actionibuſque. Neque tamen adſunt nefariorum facinorum commemorationes, qualia ſunt inceſtæ nuptiæ, parentum, aut liberorum cædes, aut quæ alia portenta novæ tragœdiæ ſunt inventa, ut qui tragœdiam, magnificam quidem illam, ſed non inhumanam quoque ſcripſerit. Nihilominus Comœdia quoque hinc anſam cepit. Invenias enim apud eum quædam etiam, quæ interim riſus materiam præbeant. Omninò enim humanæ naturæ conſentaneum eſt, non intendi modò animum, ſed remitti etiam, ut ſufficere poſſit ad vitæ labores. Itaque talis animi oblectatio à poeta inventa eſt. Quòd autem ii, qui poſteà comœdias ediderunt, riſus captandi gratia, turpibus, & nimis apertè obſcœnis verbis uſi ſunt: certè non poſſint dicere, ſe melius aliquid inveniſſe. Sobriè enim Homerus amatorias affectiones, ac ſermones memoravit: at reliqui poetæ incontinenter: ac ultra modum iſto affectu captos homines propoſuerunt. *Plut. de Homero.*

Cùm nemo eam artem docere poſſit, quam ignorat: neceſſe eſt, omninò eos, qui Poeticam docent, Poetas eſſe. Ariſtoteles itaque Stagirites, cùm in aliis ſcientiis omnibus, tum etiam in poeſi excellens fuit, ſive artem ſpectes, ſive carminum compoſitionem. De poetica, de Tragœdiis, Elegias ad Eudemum, Homericarum ambiguitatum lib. 6. Pæana in Hermiam eunuchum, item Peplum ſcripſit, in quo Ducum, qui in bello Trojano fuere, genealogias complexus eſt.

Zeno Cittieus, Cratetis diſcipulus, Stoicorum princeps, de Poetica auditione ſcripſit. *Laertius lib. 7.*

Democritus Abderites de poeſi ſcripſit, de carminis venuſtate, de Homero, ſive verſuum rectitudine, de carmine. *Idem l. 9.*

Heraclides Ponticus, Speuſippi diſcipulus, de poetica, & poeticis librum unum edidit. *Idem l. 5.*

Q. Horatius Flaccus Lyricorum Latinorum princeps, de Arte poetica compendioſè, verùm artificioſiſſimè commentatus eſt.

Val. Cato Grammaticus, Burſenni libertus, ex Gallia, Syllanis temporibus patrimonio exutus, docuit nobiles multos. Unde diſtichon illud:

Cato Grammaticus Latina Siren,
Qui ſolus legit, & facit poetas.

Jul. Cæſar Poeticam artem libris ſeptem elegantiſſimè, & eruditiſſimè complexus, præcepta optimorum Scriptorum exemplis ſic illuſtravit, ut nihil in hoc genere perfectius, vel à veteribus, vel à recentioribus elaboratum videatur. Cujus ſcripta ab omnibus Poeticæ ſtudioſis diligenter legenda cenſeo, noſtro præſertim ſæculo, quos multos Grammaticos metro utentes, & ut uno verbo dicam, verſificatores; raros, vel potiùs nullos videmus Poetas. Etſi enim poeta naſcitur magis, quàm fingitur: artis tamen præcepta naturæ fœcunditatem promovere, vitia emendare poſſunt, & corrigere.

Hieronymi Vidæ poetica eſt præclarum poema: quodque deceat gaudere, hac tanquam prærogativa militari: quippe hanc eandem, quam nos hiſce in libris, ait *Scaliger l. 6. Poetices*, materiam tractat. Præterea tanto majore laude, quàm Horatius dignus eſt: quanto artificioſius de Arte agit hic, quàm ille.

POETARUM DIFFERENTIÆ RESPECTU
A SUBJECTI PER SE CONSIDERATI.
Sic tractant vel

ORGANICA.

Theodectes Ariſtandi filius, Phaſelites, Lycius, orator, diſcipulus Platonis, Iſocratis, & Ariſtotelis ſcripſit artem oratoriam verſu. *Suidas.*

PHILOSOPHICA. Huc Poetæ.
Physiologi.

☞ *Phyſiologia alia univerſalium præceptorum eſt Theorica, alia, particularium exemplorum Hiſtorica. Ergo & qui præcepta tradunt naturalium rerum, & qui hiſtoriam naturalem, hujus erunt loci. Quocirca ex Tit. Methanicorum poetarum, exempla quædam mutuanda erunt eorum, qui de Venatione, & Piſcatione ſcripſere. Hic hiſtoriæ Piſcium rationem habemus, illic ipſius Piſcationis.*

Pronopides, qui πρωτοκόσμον ſcripſit, & Creophilus Samius, vel Chius Homeri magiſtri. Alii tamen Creophilum generum, alii hoſpitem Homeri volunt fuiſſe, cui Homerus Oechaliæ captivitatem dono dederit.

B Xenophanes Colophonius, Phyſicus cognomento, Olymp. 50. claruit, Eleaticæ ſectæ auctor: ſecundùm quoſdam in philoſophia opus duum millium verſuum ſcripſit.

Parmenides Eleates Xenophanis diſcipulus, ſive Anaximandri. Hujus ſucceſſores Empedocles, & Zeno. Scripſit Coſmogoniam, & στοιχοποιΐαν, item de Natura.

Empedocles Agrigentinus filius Metonis, vel Archinomi, vel Xenetæ, diſcipulus Parmenidis, aut Xenophanis, aut Telaugis filii Pythagoræ, ventos ſiſtere poterat. Unde inditum illi cognomen, ἀλεξανεμίας κωλυσανεμίας. Auream coronam capite geſtabat, in manibus ſtemmata Delphica, in quibus amyclas, calceamenti genus. In Ætnæ crateres ſe injecit, ut deus factus videretur, ſcripſit de Natura libros tres, item hymnos, & tragœdias. Ejus nepos ex filia, Empedocles quoque dictus, tragœdias 24. docuit.

Palæphatus Athenienſis, Actæi F. ante Phenonen, vetuſtiſſimus poeta, κοσμοποιΐαν ſcripſit verſibus quinquies mille, & multa alia. *Suidas.*

Crantor Solenſis philoſophus, permulta ſcripſit poemata, C quæ annulo obſignata Solis, in fano Minervæ condidit. Mirabatur potiſſimùm Homerum, & Euripidem.

Eratosthenes Cyrenæus, novus Plato dictus, atque etiam Pentathlos, propter omnigenam eruditionem. Primus Philologi nomen meruit, (poſt eum id adeptus eſt apud Latinos Attejus) Athenis Alexandriam à tertio Ptolemæo vocatus. Floruit Olymp. 141. vixit annos 82. inedia conſumptus, cùm ophthalmiæ remedium quæreret. Ex ejus libro, qui Hermes inſcribitur, Virgilius de cœli Zonis omnia ſumpſiſſe dicitur à Val. Probo. Permulta ſcripſit in philoſophia, & aſtrologia, in poetica, & hiſtoria.

Antimachus Heliopolitanus, Ægyptius, Coſmopœjam, id eſt, ortum, ſive conditionem mundi, verſibus heroicis 3780. deſcripſit. *Suidas.*

Manethus Dioſpolires ex Ægypto, Phyſiologiam carmine perſcripſit.

Heraclitus Epheſius 69. Olymp. floruit, & propter ſermonis obſcuritatem Scotinus eſt dictus: librum ſcripſit, in tres diviſum partes, de Univerſo, de Repub. & de Theologia, D quem in templo Dianæ depoſuit. Eum cùm Euripides Socrati aliquando legendum obtuliſſet, reſpondit, Quæ intellexi præclara ſunt, puto & quæ non intellexi? veruntamen eis opus eſt Delio natatore, ne in eo ſuffocetur.

T. Lucretius Carus, Romanus, Epicureus, de Natura ſcripſit opus imperfectum, natus Olymp. 171. Philtro hauſto à Lucillia amica in furorem verſus, manu propria ſe tandem interfecit, anno ætatis 35. eo die, quo virilem togam ſumpſit. *Virgilius.*

M. Varro Romanorum eruditiſſimus, De rerum natura carmine ſcripſit.

Plotius Criſpinus Stoicus, placita Stoicorum verſibus complexus propter loquacitatem Aretalogus dictus, lippus fuit. Eſt quidam alius L. Plotius poeta à C. Mario dilectus, quòd illius ingenio res ſuas geſtas celebrari poſſe putaret.

Serapion, ſub Trajano, & Nerva, Athenienſibus Philoſophiam verſibus ſcripſit: & genus hoc ſcribendi ab antiquis tantùm, Orpheo, Parmenide, Thalete, uſitatum, revocavit, *teſte Plutarcho.*

Mathematici.

Thales Mileſius verſibus philoſophica quædam ſcripſit, & meteora. Unus è ſeptem. E

Aratus Solenſis, filius Athenodori, & Lenodoræ, temporibus Philadelphi: diſcipulus Menecratis Epheſi in grammatica, in matheſi Ariſtotheli, in philoſophia Timonis, & Menedemi, præcipuè Perſi, cum quo in Macedoniam profectus ad nuptias Antigoni regis, & Philæ uxoris, apud eos poſteà reliquum vitæ exegit. Homeri, aut Heſiodi potiùs imitator, ſcripſit Phænomena, primùm à Cicerone, deinde à Cæſare Germanico (alii à C. Julio Cæſare) poſteà à Naſone Ovidio brevi carmine, tandem à Sex. Ruffo Aveino converſa in Latinam linguam: item Hymnos, Pægnia, Aſtrologiam, & Aſtrotheſiam, anthropogoniam, Epigrammata, Elegias. Cicero in Oratore, inter doctos conſtare ait, Aratum mathematices ignarum, optimis verſibus de cœlo, & ſtellis ſcripſiſſe: ſecutum Eudoxi, & Hipparchi ſcripta. Arati ſepulcrum Solis Mela refert exiguum eſſe, ad quod jacta ſaxa diſſiliant, cauſa incerta.

M. Manlius, vel Manilius, Antiochenus, in Manliam familiam adoptatus, Aſtrologus celebris: mortuus adhuc vivente Auguſto, Apoteleſmata ſcripſit, at opus imperfectum extat, nam de Planetis meminit, ſed imperfectè, imitatus Dorotheum Sidonium. F

Medici.

Muſæus ante Homerum ἄκεσις νόσων ſcripſit, *Euſtachius in Proœmio Iliadis.*

Thaletas Cretenſis ante Homerum Lyricos verſus ſcripſit tanta citharæ ſuavitate, ut morbos, & peſtilentias curaret. Fuit alter Thaletas rapſodus, quem Lycurgus Spartam miſit, ut ad leges ſuſcipiendas Spartanos accenderet.

Damocrates Servilius poeta, & medicus, ut & Eudemus, & Heliodorus: quorum compoſitiones carmine deſcriptas Galenus recenſet.

Andromachus Cretenſis, ſenior, medicus illuſtris, Neronis tempore Theriacam carmine elegantiſſimo ſcripſit.

Nicander, Xenophanis filius, Clarus civis, atque ſacerdos Apollinis, aliis Colophonius, grammaticus, medicus & poeta, Attali minoris ætate, Antimachum dicendi genere æmulatus eſt: ſcripſit Theriaca, & Alexipharmaca, Georgica, & Prognoſtica Hippocratica de omnibus oraculis. G *Suidas.*

Philo Tarſenſis medicus, nobile illud ſuum Philonium ænigmaticis carminibus deſcripſit, tantopere veritus medicamenti, ut ſaluberrimi, ſic, niſi ab artifice propinetur, ancipitis admodum proſtitutionem. Cujus formulam Galenus traditam expoſuit.

Æmylius Macer Veronenſis, ſcripſit libros de Avibus, ſerpentibus, herbis, Nicandrum imitatus. Supplevit ea, quæ ab Homero de bello Trojano relicta ſunt. Unde ab Ovidio Iliacus vocatur, item Theogoniam. Obiit in Aſia, 190. Olymp. Liber, qui ejus nomine circumfertur, ſpurius eſt; nam Plinii mentionem facit: quo tamen Macer integro ſeculo antiquior eſt, ut qui Ovidio familiaris fuerit.

Rufus Epheſius medicus, ſub Trajano quinque libris verſu hexamerto egit de Herbis, *teſte Galeno.*

Q. Serenus de Medicinæ facultate, & moborum remediis carmen compoſuit.

Petrichus de re Medica verſus ſcripſit, *teſte Plinio.*

Rhemmius Fannius grammaticus, & poeta Arnobii diſcipulus, tempore Conſtantini Magni, ad Lactantium elego carmine librum de Medicinalibus ſcripſit. H

Vates.

☞ *Cùm Vaticinium inter homines ſumma admiratione dignum ſit, neque in hominem quatenus homo eſt, cadere videatur, ſed quatenus divino quodam ſpiritu afflatus eſt: Poetæ etiam à Latinis κατ' ἐξοχὴν ab excellentiſſimo poetici furoris genere Vates appellati fuerunt, ſive vaticinia ederent, ſive quidvis aliud canerent. Nos tamen hoc in loco Vates poeta. χρησμολόγους intelligimus. Conſule Tit. Poetarum, quatenus aſtutiſſimus dæmon, cùm poetas in magno olim pretio videret eſſe, ut ſuis quoque oraculis majorem pareret auctoritatem, carminibus reſponſa per mulieres dedit.*

David rex Judæorum, verè entheus poeta, vario genere carminis Pſalmos ſuos immortali Deo decantavit.

Hieremias Propheta Threnos conſcripſit, quatuor integris literarum ordinibus: è quibus primo & ſecundo, quaſi Saphico metro, tertius trimetro, quartus primo & ſecundo ſimilis eſſe videtur.

Iſaias

Isaias prophetiam ſuam ſacris verſibus condidit, quibus A nihil jucundius eſſe D. Hieronymus teſtis eſt: ut & cæteri prophetæ.

Melampus Argivus Amythaonis, & Aglajæ filius, vaticinio clarus, & medendi arte.

Hystaspes antiquiſſimus Medorum rex, & vates, cujus vaticiniis Medi uſi ſunt. Ab ejus nomine fluvius dictus. *Gyrald. Dial. 3. hiſt. Poeticæ.*

Bacis, aliis Bacchis, Chreſmologus cognominatus, cujus oracula Plutarchus Sibyllinis confert. Mulieres Spartanas à furore purgavit. Ejus frater Glanis vates.

Ophioneus Meſſenius, à nativitate cæcus, vehementi capitis dolore viſum conſecutus, denuò cæcus factus. Vates, & poeta.

Prylis Lesbius, Mercurii, & Iſæ nymphæ filius, Græcis ad Trojam proficiſcentibus à Palamede perſuaſus], equo ligneo urbem capiendam prædixit.

Lichas in terra Attica oracula dedit. Herodotus eum inter Spartanos Evergetas reponit.

Abaris Scytha, Seuthi filius, Apollinis iter ad Hyperboreos deſcripſit, & multa alia. Hic ab Apolline ſagittam accepit, B quam jaculans, ſimul & ipſe cum ea ferebatur. Itaque populos velociſſimè tranſmeans, per eam reſponſa dabat. Unde αἰθροβάτης dictus. Jamblichus Pythagoræ diſcipulum fuiſſe aſſerit. Olympiade 3. alii 56. alii 82. floruiſſe ajunt. Legatus Athenas veniens, ad ſuos Hyperboreos rediit nil comedens. *Herodoto* teſte.

Evenius Apollonius genere ex Jonia, à civibus excæcatus, à diis mentis acie donatus eſt, & opibus auctus. Filium habuit Deiphobum, itidem vatem.

Martii quidam fratres Romani fuerunt, quibus Sibylla prædixit futura. Horum deinde oracula cum Sibyllinis in templo Apollinis ſervabuntur, unà cum libris Begoes nymphæ, quæ artem apud Thuſcos fulguritarum ſcripſit. *Maurus Servius, & Cicero in libro de Divinatione.*

Publius vates Romanus oracula edidit, quæ à Rom. diù multa religione obſervata fuere. *Cic. de Divinat.*

Theologi.
Sacri.

Salomon, Davidis filius, in hortis Engaddæ Canticum Canticorum in morem dramatis cecinit, quo nihil ſuavius C eſſe in Hebræorum lingua aſſerunt: nihil ſanctius, allegorica interpretatio docet.

Theanus hexametro verſu grande volumen de iis, quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, ſcripſit.

Apollinaris Syrus, Heroico carmine Hebræorum antiquitatem ſcripſit, uſque ad tempora Saul, 24. voluminibus, Homerum imitatus. Item Comœdias, Tragœdias, & Lyricos verſus, imitatus Menandrum, Euripidem, & Pindarum. Cum antiquitate certaſſe potuit videri, teſte *Sozomeno.* Laodicææ poſteà Syriæ Pontifex, in Pauli Samoſateni errorem incidit, vel ipſe potiùs novam confinxit hæreſim: corpus ſcilicet, non animam, à Chriſto ſuſceptum fuiſſe. Ea cauſa videntur omnes illius lucubrationes tanquam hæreticæ, fuiſſe damnatæ, & ſuppreſſæ. In eo certè laudatur, quòd cum Julianus Imp. Apoſtata, Chriſtianorum liberis omni diſciplinarum Ethnicarum genere interdixiſſet, primus hic res ſacras D carmine expoſitas, pueris diſcendas propoſuerit, impii tyranni dolum nefarium pio dolo eludens. Cujus exemplum alii deinceps imitati ſunt.

Nonnus Panopolita ex Ægypto, Joannis Evangelium Heroico carmine ſcripſit. Scripſit alius quidam, vel hic idem. Gigantomachiam, & Dionyſiacon libros 48. ut ſunt Homeri Rhapſodiæ, opus fabulis refertiſſimum.

Cælius Sedulius Scotus, anno Chriſti 430. ſcripſit hexametro verſu opus mirabilium, ſive Paſchale. Item hymnum ad Chriſtum, cujus Acroſtichides totum continent alphabetum. Item carmen ad Theodoſium Juniorem.

L. Cælius Lactantius Firmianus, unus eloquentiæ Ciceronianæ inter Chriſtianos præcipuus æmulator, verſus compoſuit de Chriſti nece, & reſurrectione, item Phœnicem, & ὁδοιπορικὸν ex Africa in Bithyniam uſque.

Maurius Victorinus Afer, rhetor, Romæ docuit ſub Conſtantio Imp. & ſtatuam in foro Trajani meruit. Præceptor fuit Hieronymi. Senex tandem ad fidem Chriſti converſus, verſu Heroico ſeptem Machabæorum mortem cum matre cecinit, & hymnos quoſdam de S. Trinitate. Libros contra Arium proſa ſcripſit, valdè obſcuros.

Cæcilius Cyprianus Afer, Epiſcopus Carthaginenſis, carmina ſcripſit de S. Crucis ligno.

Georgius Diaconus Conſtantinopolitanus, & Chartophylax, id eſt, archivii præpoſitus, Hexaemeron Jambico carmine tribus verſuum millibus ſcripſit: item bellum Perſarum ad Heraclium Imp. E

Petrus de Riga Rhemenſis, utrumque Teſtamentum carmine complexus eſt, quod Auroram inſcripſit.

Jo. Damaſcenus Magnus, theologus Græcus, cognomento Maſur (quem plerique Joannem Meſue eſſe crediderunt, qui de Medicamentis ſcripſit) ſub Leone Imp. & Gregorio III. Pont. vixit, vir ſua ætate doctiſſimus. Præter cætera, & Suſannæ drama compoſuit: & Canonicorum regulas cùm jambicis, tum proſa oratione.

Alcimus Avitus Epiſcopus Viennenſis, ſub Zenone, & Anaſtaſio Impp. anno Chriſti 500. Galliam ab Ariana labe defendit, & poemata quædam ſcripſit, quæ adhuc extant.

Proſper Hiſpanus, vel Aquitanus miles, Romæ à Leone Pontifice ſuſceptus, & ejus primùm ſcriba, deinde Regii Lepidi Epiſcopus factus, de Providentia Dei, & de Ingratis carmina ſcripſit; item Epigrammata ex D. Auguſtini ſententiis. F

Fulgentius Placiades Teleptæ natus, ex nobili ſenatorum Carthaginenſium genere, ann. Chriſti 480. vel circa, primùm cauſarum procurator, deinde Rhuſpenſium Epiſcopus; exulatum miſſus in Sardiniam cum 120. Epiſcopis Africæ à Traſimundo Vandalorum rege, Chriſtiana poemata ſcripſit, duriuſculè tamen.

C. Sollius Sidonius Apollinaris, Alvernus Gallus, floruit tempore Theoderici Gothorum regis, ſtatuam Romæ in foro, Trajani, duplicemque coronam meruit: poeta, ut ea tempora ferebant, tolerabilis.

Juvencus, Hiſpanus presbyter, ſub Conſtantino Magno quatuor Evangelia hexametris verſibus ſcripſit.

Arator Diaconus, hexametris verſibus Acta Apoſtolorum ſcripſit, & Vigilio Pontifici Maximo obtulit. Vixit ann. Chriſti 560.

Guidus ſacerdos, poſteà præſul, ad Clementem Quintum Bibliæ margaritam ſcripſit carmine; ſuper utrumque Teſtamentum, mira facilitate.

Prudentius vitas, & geſta Sanctorum carmine concepit.

Levinus Torrentius II. Epiſc. Antuerp. in ſcribendo carmine Lyrico, & elegiaco mirè venuſtus extitit, & facilis. G

Ethnici.

Linus Chalcidenſis, vel Thebanus, Apollinis, & Terpſichores filius, primus ex Phœnicia literas in Græciam intulit, primus Lyricos modos, & Doricos concinuit. Lichanon, mediam citharæ chordam appellavit, à Muſis inventam. Intenſionem citharæ à patre Apolline accepit, quam ille obſervarat in arcu Dianæ ſororis intenſo. Diſcipulos habuit præcipuos tres, Thamyram, Orpheum, & Herculem: à quo etiamnum puero interfectus eſt plectro, quia eum duriùs corripuiſſet. *Pauſanias in Bœot.* ex ſententia Thebanorum duos facit Linos. Antiquiorem, Uraniæ, & Anphimari Neptuni filium, ab Apolline ob canendi arrogantiam interfectum, à Græcis, & Barbaris deploratum, Thebiſque ſepultum. Hinc lugubria, & funebria carmina αἴλινος dici cœpere. Juniorem, Iſmenii F. ab Hercule diſcipulo occiſum.

Pierus Lini filius, Macedo, cùm Theſpias profectus eſſet, H novem ibi Muſas conſtituit, montemque Pierium vocavit, qui antè Helicon dicebatur. Alii primum de Muſis ſcripſiſſe, alii Muſas ejus filias fuiſſe ajunt. Ovidius, filias ejus cum Muſis certare auſas, in picas mutatas fabulatur.

Thamyras filius Philammonis, & Arſinoes, Thrax Odryſius, ante Homerum quintus, vel Octavus, Theologiam tribus verſuum millibus ſcripſit. Primus à nonnullis παιδεραστὴς fuiſſe dicitur. Cùm Muſas in certamen provocaſſet, ab iis excæcatus eſt. Unde proverbium Θάμυρις μαίνεται. *Suidas.*

Amphion Thebanus, Jovis, & Antiopæ filius cum Zeto à Mercurio lyram accepit dono, quòd primus ei aram poſuiſſet, hac Amphion Thebas Bœotias condidit, & primus vocem lyræ junxiſſe dicitur.

Orpheus ex Libethris Traciæ oriundus, Apollinis, & Calliopes filius, cui ab Apolline lyram datam, quidam aſſerunt, quam novichordem primus inſtituerit, cùm Mercurius ſeptichordem tantùm habuiſſet. Ante Trojana vixit tempora, per undecim γενεάς. γενεὰν. intelligunt ſpatium ſeptem annorum. Ipſe vixit novem generationes, hoc eſt, ad ſexageſimum tertium annum, qui climactericus eſt. A Ciconum mulieribus diſcerptũ ajunt, eo quòd relicta Eurydice uxore, pueriles amores

ſequeretur, vel potiùs (ut *Pauſanias in Bœoticis*) quòd ſecum A viros, quacunque errans, huc illud traheret. In Græciam aſtrologiam, & magiam adduxiſſe dicitur à Luciano. Feras cantu ſuo, & Bacchas flexit. Tanti eum Græcia fecit, ut divinitatem ei tribuerit. Caput ejus in Lesbo oracula dedit, quòd unà cum lyra per Hebrum fluvium in mare devolutum fuit. Orpheus Hebræos Sacerdotes ſub Judicibus audiviſſe dicitur. Itaque primus πολυθεότητα impugnavit, quam anteà docuerat. Fuerunt tamen quatuor alii Orphei, ut tempore, ita & dignitate poſteriores.

Musæus Orphei diſcipulus fuit. Alii Lini, alii Orphei, alii Eumolpi Athenienſis filium fuiſſe volunt. Theogoniam primus ſcripſit, & ſphæram invenit. Orphei lyram poſt mortem obtinuiſſe dicitur: quam, quòd ea indignus eſſet, Jupiter in cælum tranſtulit, Arati interprete teſte. Fuere & alii Muſæi, Eleuſinius, Thebanus Thamyræ filius, Melicus poeta, qui antè Trojana tempora floruit, & Epheſius Epicus.

Eumolpus Eleuſinius, vel Athenienſis, Muſæi filius (aliis pater) quibuſdam Neptuni, & Chiones filius dicitur, Orphei diſcipulus: Claruit in Pythicis certaminibus, Lyricis victor. Cereris Myſteria, & χειροσκοπικά, & Bacchica ſcripſit. *Suidas*.

B Zoroastres Perſa, Meſraim Cham filius, qui magicæ artis tradidit diſciplinam. Hic aſtris multum tribuens, cùm ex illis ſcintillas quaſdam eliceret, tandem à dæmone ſuccenſus eſt: & Zoroaſtres à ſuperſtitioſis hominibus dictus, quaſi ζῶον ἄστρον, vivens aſtrum, cùm priùs Zarades diceretur. Beroſus filium Noe Cham, Zoroaſtrem dictum ait, propter veneficiorum peritiam, quibus Noe patrem impotentem ad venerem reddiderit. Hermippus centum millia verſuum à Zoroaſtre condita ſcribit, præceptore uſum Agonace, quinque millibus annorum ante bellum Trojanum. Viginti annis in deſerto, ſolo caſeo vixit. Infans recens natus riſit, & cerebrum ejus inſolito more palpitavit, futuræ præſagio ſcientiæ. Alter Zoroaſtres fuit Rex Bactrianorum, à Nino prælio victus. Tertius Proconnenſius Magus, circa Xerxis tempora.

Epimenides Gnoſius, vel Phæſtius, ex Creta, miſſus à Patre Phæſto, aut Doſiade, aut Agiaſarcho, ut ovem rure deduceret, meridiano æſtu in antrum ſeceſſit, & ibi per annos 77. (alii 40. alii 47.) dormivit. Domum reverſus, cùm omnia mutata inveniſſet, à fratre agnitus, Deorum poſteà amicus habitus eſt. Poeta fuit, & vates. Plurima ſcripſit. Vixit annis 157. vel 299. C vel 154. Anima ejus, quoties volebat è corpore egredi, & remigrare cõſueverat, Mortui pellis longo poſt tempore, notis quibuſdam inſcripta, reperta fuit, unde proverbium, ἐπιμενίδειον δέρμα, de rebus miraculoſis. Athenas à Cylonio ſcelere luſtravit, 44. Olymp. jam ſenex. Scripſit Initia, & luſtrationes. *Suidas*.

Aristeas Proconneſius, Democharidis filius, cujus anima relicto corpore vagari ſolebat, & univerſum orbem perluſtrare, ſapientiæ ergo. Scripſit Theogoniam mille verſibus, & Arimaſpia, floruit temporibus Crœſi, & Cyri, Olymp. 50.

Hesiodus Homero coævus fuit, quamvis alii eum longè poſteriorem faciant, videlicet 130. annis. Certavit cum Homero in Oelyci Theſſali exequiis, & Amphidamantis Chalcidenſis, & victor extitit, judicio Panidis regis Chalcidis. Sed Porphyrius, & plerique Homero minorem faciunt annis centum, ut 32. tantùm annis primam Olymp. anteceſſerit. Natus eſt Cumis Æolicis, patre Dio Ampelidis filio: qui propter æs alienum ſolum vertens, Aſcram Bœotiæ vicum migravit, ubi Heſiodus educatus, Aſcræus dictus eſt. Hic cum armenta puer cuſtodiret, à Muſis amatus, guſtata lauro, poeta evaſit. Cum Mileſio comite, & Troilo puero Heſiodus apud quendam hoſ- D pitatus eſt, ut refert Plutarch. Mileſius hoſpitis filiam corrupit. Puellæ fratres Heſiodum ſtupri conſcium arbitrati eum inter paſcua cum puero occiderunt, & cadaver in mare projecerunt. Id exceptum, Delphini in litus portaverunt. Re cognita, interfectores fuga ſibi conſulere volentes, coorta tempeſtate, in mari perierunt: poſteà Heſiodi corpus in Nemea Locridis ſepultum fuit. Senex admodum obiit, Unde proverbium, Heſiodia ſenectus. Obtrectatorem habuit Cercopem quendam: Oſſa ejus oraculi juſſu exportata ab Orchomeniis, & in medio foro tumulata. Ex Ctemene Phyſigei filia, Steſichorum poetam genuiſſe dicitur. Scripſit Theogoniam, Opera, & dies, Scutum, & alia. *Suidas*.

Cynethon Lacedæmonius Theogoniam carmine ſcripſit poſt Heſiodum, tertia Olympiade. Diverſus à Cenætho Chio, qui 69. Olymp. floruit, & Rhapſodiis Homeri, multos verſus Syracuſis inſeruit.

Numa Pompilius de diis, deorumque rebus verſus compoſuit, iiſque in ſacris, ludiſque publicis ritè cantatis, ferociſſimam gentem ad humaniores mores tranſtulit.

Julianus, Juliani Philoſophi Chaldæi filius, M. Antonio Pio Theurgica verſibus edidit. Cùm Romani magna afficerentur ſiti, magica arte pluvias impetravit. E

Porphyrius Tyrius Philoſophus, Chriſtianis infenſiſſimus, ſub Juliano, cùm de connubio ſacro poema compoſuiſſet, & illud Plotinus audiviſſet, ad eum converſus: Oſtendiſti, inquit, te Porphyri, ſimul & poetam ſummum eſſe, & Philoſophum, & Sacerdotem.

Ethici, Qui vel Præcepta Moralia, vel leges, vel Apologos verſibus ſcripſerunt.

Gnomologi.

☞ *Vetus Philoſophia ethica olim per Hypothecas, ſive Gnomas tradebatur: hoc eſt, Sententias quaſdam morales: quibus & ad virtutem accenderentur homines, & à vitiis avocarentur. Tales ſeptem illi Sapientes Græciæ ediderunt. Ut autem numero, quoque acceptiores eſſent, verſibus plerumque ſententias iſtas propoſuerunt. Eodem conſilio quoque Legislatores vetuſtiſſimi Leges ſcripſerunt. Ut enim carmina ad memoriam plurimùm faciunt, ſic etiam neſcio, quem enthuſiaſmum in ſe continere videntur.*

Pitteus Æthræ pater, atque adeò maternus Theſei F proavus, auguſtam urbem Trœzeniorum coluit, & verſibus per ea tempora ſententias quaſdam condidit. *Plut. in Theſeo*.

Draco Athenienſis, tribus verſuum millibus Hypothecas ſcripſit, & Leges dedit Athenienſibus, omnibus delictis, mortis pœnam ſtatuens: unde non atramento, ſed ſangnine Leges ſcripſiſſe, à Demade dictus eſt! & φοινικοὶ νόμοι vulgò dicti. Vixit 39. Olymp. qua & ſeptem Sapientes: præceſſit Solonem 47. annis. In Ægina inſula in theatro ſedens, veſtibus plurimis injectis necatus, & in theatro ſepultus eſt.

Pittacus Mitylenæus, tyrannus patriæ, tyrannide tamen ſeſe poſteà abdicavit. Sexcentis elegiis civibus ſuis Leges dedit, unus ex ſeptem Sapientibus à pleriſque exiſtimatus: ut & Periander Corinthius, qui floruit 38. Olymp. & Hypothecas duobus verſuum millibus ſcripſit. Ab Athenæo ἐλεγειοποιὸς cognominatur.

Solon Poetica ab initio non ullam ad rem gravem, verùm ludibundus videtur, temporis per otium fallendi gratia, uſus obiter, atque in ea ſe exercuiſſe. Poſt & ſententias incluſit verſibus philoſophicas, & ex iis, quæ geſſerat in Repub. intexuit multa: non ſcribendi hiſtoriam, vel memoriæ cauſa, ſed ad de- G fendendas actiones ſuas: interim ad excitandos, caſtigandoſque, & objurgandos Athenienſes. Tradunt aliqui, & leges ſuas aggreſſum in carmine illigare. *Plut. in Solone*.

Hipparchus Piſiſtrati tyranni filius, qui Homeri Rhapſodiarum auctor fuit, & poetas poeta ipſe plurimi fecit, Simonidem, Anacreontem. Tandem ab Ariſtogitone, & Harmodio interfectus eſt, quòd Harmodio nobilem quendam adoleſcentem præripuiſſet. Columnas (quas Hermas dicunt) in compitis erexit, elegibus, & elegis verſibus inſcriptas.

Tyrtæus Archimbroti F. Mileſius, aut Athenienſis, Spartanus tamen dictus, ab aliis etiam Mantinæus, elegiographus, & tibicen, & deformis aſpectu, ætate penè par ſeptem Sapientibus, Olymp. 35. Scripſit elego, & heroico carmine permulta de Rep. Lacedæmoniorum. Lacones ter jam à Meſſeniis victi, auxilium ub Athenienſibus ex oraculo petierunt. Athenienſes ergo Tyrtæum eis in contemptum dederunt, cùm ludimagiſter eſſet, claudus, luſcus, & ab omnibus irrideretur. At ille carmine militum animos ita inflammavit, ut tandem Meſſanam expugnarint. Eapropter civitate donatus eſt: & in tanta H porrò fuit exiſtimatione, ut cum hoſte congreſſuri, ejus poemata canerent, & domi Trichordiam ſaltationem ex ejus præſcripto exercerent. *Suidas*.

Heſiodus in ἔργοις Gnomologias multas immiſcet: de quo ſub Poetis Theologis.

Pythagoras Gnomas edidit, χρυσῶν ἐπῶν nomine.

Babrias, ſive Babrius, fabulas, ſeu fabuloſa choriambicis verſibus libris decem deſcripſit, Æſopi proſa in carmen tranſlata. *Suidas in voce*. χορίαμβος.

Anacharſis Scytha, patre Gnyro, matre Græca, fratrem habuit Caduia Scytharum Regem. Crœſi tempore floruit, & leges verſibus deſcriptas, ſuis Scythis ferre voluit. Compoſuit & Ethica alia permulta verſibus octingentis, Græcorum ſacris initiatus eſt. In patriam rediens, ad 100. annum vixit, & ſagitta in venatione purcuſſus interiit.

Theognis Megarenſis ex Sicilia, natus 59. Olymp. relictis fabulis primus Gnomas, & Elegias parænetıcas ſcripſit, item de Syracuſarum obſidione. *Suidas*.

Phocylides Mileſius floruit poſt tempora Trojana annis A plus minus 647. Theognidis æqualis, ſcripſit gnomas, elegias, hexametros, & cephalæa quædam, quæ ex Sibyllinis deprompta videntur. *Suidas*.

Turpes, Impudici, qui Vitiorum Præcepta dederunt.

☞ *Si Formam dicendi, ſcribendive ſpectes, hujus ſunt loci: ſin Materiam, ad Doctores Libidinis, & Intemperantiæ venereæ pertinebunt. Mulierum exempla aliquot è Titul. Poetriarum petes.*

Melo, ſive Oden, quibus curas amatorias decantant, primùm excogitaſſe Alcmana tradunt: primùmque ajunt dediſſe μέλος ἀκόλαστον, id eſt, laſcivum. Alii dicunt, Ametorem Eleutherneum, primum apud ſuos cives amatorias ceciniſſe cantilenas: cujus propterea poſteri Ametores item dicti ſunt. In hoc genere plurima fuit Sappho. Anacreon autem non ſolùm dedit hæc μέλη, ſed etiam in ipſis mella. *Scalig. l. 1. Poet. c. 44.*

Anacreon Tejus, primus poſt Lesbiam Sappho magnam carminum ſuorum partem in obſcenis amoribus exprimendis B conſumpſit. *Pauſan. in Atticis*.

Batalus Epheſius, Poeta laſcivus, & molliſſimus. Hinc Batalos Græci vocant cinædos, & pathicos. Demoſthenes certè à mollitie ſic cognominatus fuit. Alii tibicinem fuiſſe volunt hoc nomine, deformem, qui verſus compoſuerit.

Sotades Cretenſis Maronites, φλυαρῶν, id eſt, nugacium carminum Poeta. Primus Phlyacas, ſive cinædos carmine jambico condidit ſermone Jonico: unde & Cinædica oratio Jonici logi dicta eſt. Uſus eſt hoc genere etiam Alexander Ætolus, Pyrrhus, Mileſius, Theodoras, Timocharidas, & Xenarchus, Suida teſte. Lyſis quoque adhibito cantu, & ante hunc Simus. *Strabo lib. 14.* Ab hoc inventum carmen Sotadeum, cujus variæ ſpecies, & vulgatiſſima παλινδρομούντων, ſive reccurrentium. Unde Martialis: Nec retrò lego Sotadem cinædum. Periit plumbeo vaſi incluſus, & in mare demerſus, cùm de Rege Lyſimacho, & Ptolemæo plura impudentiùs ſcripſiſſet: dignus hoc exitu.

Zonæus amatorias Epiſtolas ſcripſit, item de pilæ luſu, & agreſtes Epiſtolas.

Poetarum fabulas obſcenas, de diis præcipuè, Plato in ſe- C cundo de Repub. unà cum ſuis auctoribus è civitate eiiciendas arbitratur, uti peſtes adoleſcentiæ.

Hermeſianax Colophonius, de patria ſua ſcripſit, & Leontii meretricis nequitias, & amores tribus libris expoſuit.

Petronius Arbiter, Maſſilienſis, laſcivè, & impudicè Satyras ſcripſit, & amatorum argumenta, & fabulas.

Hemitheon Sybarita libellos laſciviſſimos compoſuit, de quibus tamen ſeſe Auguſto purgavit.

Paxamus ſcripſit duodecim artes, id eſt, de obſcenis motibus. *Suidas*.

P. Ovid. Naſo elegiographus, de Arte amandi ſcripſit, & divinum ſuum ingenium ejuſcemodi nugis profanavit. Is de ſeipſo 2. *Triſtium*.

Crede mihi, diſtant mores à carmine noſtro.
Vita verecunda eſt, Muſa jocoſa mea eſt.
Nec liber indicium eſt animi, ſed honeſta voluntas
Plurima mulcendis auribus apta refert.

Martialis tam impudicus, quàm ingenioſus, dignus quem Clerici Soc. Jesu pio conſilio, ſed à ſemichriſtianis parùm lau- D dato, caſtraverint. Ipſe de ſeipſo, ſic ſcribit *lib. primo*:

Innocuos cenſura poteſt permittere luxus.
Laſciva eſt nobis pagina, vita proba eſt.

Sed & alibi de ſuis ſcriptis ait:

Tu quoque nequitias noſtri, luſuſque libelli
Uda puella leges, ſis Patavina licèt.

Qui Priapeja ſcripſit, non ſanè Parthenius ille, & divinus Maro, ut impudici carminis auctor extitit, ita non niſi à lenonibus, meretricibus, & cinædis legi debet, cloacæ inſtar Virgiliano palatio adiici ſolitus.

C. Coſconius Servilia lege (cujus de pudicitia caput aliquod fuiſſe interpretor) reus, & ſine ulla dubitatione nocens: tamen cum Valerii Palentini accuſatoris ſui recitaſſet in judicio carmen, quo puerum prætextatum, & ingenuam virginem à ſe corruptam, Poetico joco ſignificaverat: iniquum eſſe judices exiſtimarunt, eum victorem dimittere, qui palmam non ex alio ferre, ſed de ſe dare merebatur. Magis ergo Valer. in Coſconii abſolutione damnatus, quàm Coſconius in cauſa ſua liberatus eſt. *P. Ærod. ex V. Max. lib. 1. c. 1.*

Martialis lib. 12. Epigram. Poeta alioqui laſciviſſimus, inſectatur tamen. E

Musæi *pathiciſſimos libellos,*
Qui certant Sybariticis libellis,
Et tinctas ſales pruriente chartas.

Petrus Aretinus noſtra ætate ſcripſit, & figuris additis expreſſit varias libidines, unde meritò illa ejuſdem opera flammis traduntur.

Theodorus etiam Beza magiſtri ſui Calvini non degener diſcipulus, in Epigrammatibus ſuis pleraque inſpargit, quæ caſtæ aures horrent audire.

Historici, qui res geſtas, vel quaſi geſtas, quocunque genere carminis decantarunt.

Heroici.

☞ *Heroici ab Heroum geſtis, quæ cantant, appellationem traxere. At quia dactylicum carmen huic generi poematis aptiſſimum eſt, idcircò carmen Hexametrum vulgò cœpit appellari, quantumvis materia diverſa eſſet. Nos hîc proprio vocis uſu Heroicos à materia, non à metro denominari volumus.* F

Job ex terra Hus, librum ſcripſit. In quo ubi ex perſona ſua ſermonem exorſus eſt, ad uſque libri calcem carmine hexametro dactylico cuncta complexus eſſe dicitur.

Corinnus Ilienſis, fervente adhuc bello Trojano, Iliada dicitur ſcripſiſſe, Palamedis diſcipulus: cujus inventa literis Doricis deſcripſit. Dardani bellum contra Paphlagonas quoque ſcripſit. Ab eo plerique volunt Homerum argumenta cepiſſe, & libris ſuis inſeruiſſe. *Suidas*.

Prodicus Phocæus, Epicus vetuſtus, ſcripſit Minyada: opus variis hiſtoriis refertum, ex quo Polygnotus picturarum nonnullarum ſumpſit argumentum.

Polycritus Siculorum geſta verſibus mandavit, *teſte Ariſt. in lib. de Admirandis in natura*.

Phanocles, Ganymedem non à Jove, ſed à Tantalo raptum aſſeruit, eamque cauſam belli inter Troem, & Tantalum fuiſſe.

Eumerus Corinthius, Bacchiadum unus, claruit Olymp. 9. cum Sibylla Erythræa. Corinthi hiſtoriam, & Titanomachiam ſcripſit.

Demodocus Corcyræus Poeta, item Phæmius Ithacenſis, G vel Smyrnæus. Homerus in ſuis Phapſodiis Phemium quidem apud Penelopem, Demodocum verò apud Phæacas canentem introducit.

Archimus, ſeu Arctinus, Telei F. Homeri diſcipulus, Olymp. 9. vel 4. Æthiopicam, & Iliacam cladem ſcripſit. *Suidas*.

Syagrius antè Homerum Iliada ſcripſit, & ei valdè fuit infenſus.

Homerus (priùs Meleſigenes dictus) à cæcitate nomen habuit: cæcos enim, Jones, & Cumæi, Homeros vocant, quaſi μὴ ὁρῶν. Alii cæcum fuiſſe ajunt, hoc eſt, in refrænandis animi affectibus (qui per oculos potiſſimùm irritantur) impotentem. Parentes ejus incerti Ariſtot. in 3. de Poetica dæmonem ei patrem tribuit, matrem Critheidem Jenſem. Ephorus Cumanus Critheidem à Mæone tutore conſtupratam, & Phemio Smyrnæo ludimagiſtro obtruſam, apud Meletem fl. filium peperiſſe aſſerit. Antipater facit Calliopes Muſæ, & Apollinis filium. Incerta etiam patria, nec enim ſeptem tantùm urbes, ſed tota ferè Græcia de ejus natalibus gloriatur. H Sunt, qui Babylonium, Suidas etiam Lucanum, aut Romanum fuiſſe ſcribit. Plutarchus Smyrnæ natum, in Jo tumulatum aſſerit, augurio ejus divinitatis: cùm Smyrna myrrham, Jos violam ſignificet. Tempus itidem, quo floruit, incertum. Quidam poſt Troica 120. Herodotus 168. Crates 80. Archilochus 500. nimirum 22. Olymp. Incertitudo ex eo nata videtur, quòd octo alii præter hunc fuerint Homeri, tempore tamen, & eruditione longè inferiores. Obiit ann. ætat. 108. cùm ex Samo in Jon navigaſſet: vel ex animi mœrore, quòd propoſitum à piſcatoribus ænigma explicare non potuiſſet, vel morbo. Maxima ejus fuit auctoritas apud omnes ſemper. Fuit alius Homerus, inter Plejadas Poetas connumeratus, qui vixit Olymp. 23. & 57. Fabulas ſcripſit. Reliqui ejuſdem nominis, minùs clari.

Rhianus Cretenſis, primùm palæſtræ cuſtos, atque ſervus, mox Grammaticus, & Poeta ſcripſit Theſſalica, Meſſeniaca, & Heracleada.

Philoſtratus Athenienſis, Epaminondæ, & Pelopidæ vitas, item Theſeida, compoſuit.

Leſches Lesbius, Olymp. 30. parvam Iliada conſcripſit, ex qua Pindarus quædam deſumpſit.

Piſander Alexandrinus, ſeu Rhodius, filius Piſonis Ariſtæcmiæ, quem Eumolpi ætate quidam floruiſſe, & ab eo amatum ferunt: alii Heſiodo ſeniorem, alii 33. Olymp. vixiſſe aſſerunt. A nuptiis Jovis incipiens, univerſas hiſtorias uſque ad ſua tempora contexit, Trojæ etiam cladem complectens: quam Virg. in Æneida ſua tranſtulit, *teſte Macrobio*. Herculis labores duobus libris abſolvit, & primus Herculi clavam tribuit. *Suid.* Hic tanta laborabat melancholia, ut ſibi continuò timeret, ne ſuæ ipſius umbræ occurreret: anima enim ſe vivens deſtitutum exiſtimabat.

Panyaſis Polyarchi F. Halicarnaſſei aruſpicis, & Poetæ tanta fuit auctoritas, ut eum nonnulli ſtatim poſt Homerum inter Poetas recenſeant: alii poſt Heſiodum, & Antimachum, quem Panyaſis familiarem, & diſcipulum, quidam faciunt. Herodoti hiſtorici patruelis, vel avunculus. Vixit Olymp. 78. de Herculis laboribus multa ſcripſit 14. voluminibus Heracleja, item Jonica. Hic dicere ſolebat: Primum poculum Gratiis, Horis, & Dionyſio dicatum ſit: ſecundum Veneti, & Dionyſio: tertium Injuriæ, & Damno. *Suidas*.

Antimachus Colophonius, Hipparchi filius, Grammaticus, & Poeta, ſervus Panyaſis, ſecundùm nonnullos, Steſimbroti auditor, & Platone aliquanto ſenior. Hic cùm convocatis auditoribus, Thebaida ſuam (in qua antequam ſeptem duces ad Thebas perduceret, 24. libros conſumpſerat) recitaret, & eum omnes præter Platonem reliquiſſent, dixit: Plato inſtar omnium. Huic ſecundas in heroico dedit. *Quintilianus*.

Simonides Magneſius, Sipyli filius, Olymp. 150. res Antiochi Magni ſcripſit, & bellum contra Galatas. Alius Caryſtius, qui Græcorum in Aulide conventum duobus trimetrorum verſuum voluminibus complexus eſt.

Coluthus Lycopolites ex Ægypti Thebaide, ſcripſit Calydoniaca, Helenæ raptum, & Pelei, Thetidiſque nuptias.

Choerilus Samius, ſive Halicarnaſſeus, ſive Jaſius, Olymp. 75. à Samio domino profugus, Herodoto hiſtorico aſtitit, & ab eo amatus eſt. In Macedonia tanti Archelaus verſus ejus fecit, ut quotidie illi minas 4. penderet, quas tamen ille obſonando abſumebat. Scripſit Græcorum victoriam contra Xerxem, cujus Poematis verſus ab Athenienſibus ſinguli ſingulis aureis repenſi fuere: decreto facto, ut cum verſibus Homeri recitarentur. *Suidas*. Fuit & alius Chœrilus tragicus. Tertius, & diverſus ab utroque, ineptus ille: *de quo ſub Tit. Malorum Poetarum*.

Antagoras Rhodius cum Antigono Rege Macedoniæ verſatus eſt, & Thebaida ſcripſit. Hic cùm militiæ congrum coqueret, & vas concuteret, ſuperveniens Antigonus dixit: Homerum ne putas, Antagora, cùm Agamemnonis res geſtas deſcriberet, congros coxiſſe? Tum ille: Tunc, inquit rex, putas, cùm tantas res ageret Agamemnon, adeò curioſum fuiſſe, ut ſcire vellet, an in exercitu quiſquam congrum coqueret?

Apollonius, Rhodius dictus, eo quòd propter Poetarum inſidias (editis Argonauticis) Alexandriam patriam relinquere coactus fuerit. Succeſſit Eratoſtheni in Alexandrinæ Bibliothecæ præfectura. Contra eum, ut ingratum diſcipulum, Callimachus virulentiſſimum carmen Ibidis ſcripſit. Argonautica ejus tantùm extant, ex quibus Medeæ amores in Didonem ſuam Virgilius tranſtulit.

Dionyſius Mitylenæus verſificator, Scytobrachion, & ſutor dictus: deſcripſit Bacchi, & Minervæ expeditionem, Argonautas libris ſex ſoluta oratione, Fabuloſa ad Parmenionem. *Suidas*.

Q. Ennius floruit 136. Olympiade: ſtipendia ſub Africano ſuperiore fecit. Romam deductus fuit ex Sardinia à M. Catone quæſtore ex Africa decedente. Patria Rudiæ, Calabriæ oppidum: unde Rudinus ab Auſonio, Rudius à Cicerone. Hieronym. eum Tarentinum facit. Ex ſtirpe Neptun. à Meſſapo originem ſuam deduxit. Homeri animam ſe habere jactabat. Acer in ſententiis, in verbis rudis. Hinc Virgilius aurum ſe ex Ennii ſtercore colligere dicebat. Tria corda ſe habere profitebatur, quòd Græcè, Latinè, & Oſcè loqui poſſet. Scripſit annales, item bella Pop. Rom. quorum librum 12. anno 46. ætatis ſcripſit. Item Phagetica. Comœdias, & Tragœdias plures, ita ut ei decimum inter Comicos locum det Volcatius. Obiit, Q. Martio, & Cn. Servilio Coſſ. poſtquam Thyeſtem fabulam docuiſſet, jam ſeptuagenarius, ex arthritide, quam nimio potu contraxerat: ſepultus in Scipionis monumento via Appia.

Hoſtilius Annales Rom. poſt. Ennium ſcripſit.

Trimatius Iliada Latinè compoſuit, & primus Victoriæ deæ Præpetis epithetum addidit. Iliada quoque Nummius Craſſus, & Cn. Manlius ſcripſerunt. Manlius in ſua hoc habet.

—— *celeriſſimus advolat Hector*.

Hoſtius bellum Hiſtricum carmine ſcripſit, plura ex Homero mutuatus. Ex quo multa, quæ Homeri videntur, Virgilium deſumpſiſſe, auctor eſt *Macrobius*.

A. Licinius Archias, Antiochenus patria, ob eruditionem ab Heraclienſibus, Tarentinis, Rhegynis, Neapolitanis, & Romanis, civitate donatus eſt. A Lucullis, Metellis, Catullis, Craſſis, in primis à M. Tullio amatus, & ab eo etiam defenſus. Extemporali facultate carminum condendorum pollebat. Scripſit Cymbrica Græcè, & de conſulatu M. Tullii carmen exorſus eſt, item Epigrammata quædam.

Theophanes Mitylenæus Epicus, Magni Pompeii geſta deſcripſit; & propterea ab eo pro concione laudatus, & civitate donatus eſt. Mortuo Græci divinos honores tribuerunt.

P. Ter. Varro in vico Atace Provinciæ Narbonenſis natus Olymp. 174. qui poſteà 34. annos ætat. Græcas literas didicit. Scripſit Argonautica, & majorem partem ex Apollonio traduxit. Item de puella Leucadia, quam amavit.

P. Virg. Maro, Poetarum Deus, ſive Plato (ut Alex. Imp. dicebat) propè Mantuam in vico Andes (unde Andinus ipſe) qui hodie Pictolæ vulgò dicitur, natus eſt 177. Olymp. Pompejo, & Craſſo Coſſ. Brunduſii mortuus. Saturnino, & Lucretio Coſſ. Oſſa Neapolim tranſlata, ſecundo ab Urbe lapide. Moribus adeò modeſtus, ut vulgò Parthenias diceretur. Priapeja ejus non ſunt, ſed verſus ſunt variorum Poetarum in hortis Mecœnatis Priapi ſacello affixi. Adrianus Imper. ipſum Ennio poſtponebat. Caligula eum damnabat, & penitus abolere conabatur. Græci ejus Opera in ſuam linguam convertunt.

Pedo Albinoanus Theſei geſta, & Epigrammata ſcripſit: unde ab Ovidio ſublimis; altiloquus, & alicubi ſidereus appellatur.

C. Rabirius magni oris ab Ovidio dicitur, quia Epicus eſſet Poeta, & grandiloquus. Scripſit præter Heroica, etiam Elegias, Epigrammata, & Satyras.

Tuticanus, Ovidii à teneris amicus, mutuoque ſibi operam dabant in emendandis carminibus. Phæacida ex Homero vertiſſe dicitur.

Ponticus bella Thebana carmine deſcripſit, Ovidii amicus.

Corn. Severus, Poeta, & declamator egregius, Scripſit bellum Siculum, ſed non perfecit. Carmen de monte Ætna, quod Virgilio tribuitur, ejus fuiſſe putatur.

Annæus Lucanus Cordubenſis, Perſii condiſcipulus, eques Rom. Cunis ejus apes inſederunt. Præceptore uſus eſt Palæmone, Verginio, Cornuto. Neroni charus, quæſtor adhuc juvenis factus eſt; poſteà etiam ſacerdos, cùm Pollam Argentariam doctiſſimam mulierem duxiſſet, quæ tres primos libros Pharſaliæ unà cum marito emendavit, reliquos eo mortuo. Cùm quinquennali certamine acto, Nero per Clinium Ruffum Niobenſe pronunciaturum indixiſſet, Lucanus oſtentandi ingenii cauſa Orphea extemporè recitavit, & corona à judicibus donatus eſt. Offenſus ea re Imperat. interdixit ei foro, theatro & Poetica. Lucanus ergo ultionis ſpe, Piſonianæ conjurationi adhæſit. Qua detecta, crimen faſſus, impunitatis ſpe, Adilam quoque matrem inter conſcios nominavit. Largiter epulatus, in balneum deſcendit, & venas medico ſecandas præbuit. Periit ergo pridie Calend. Maii, Attico Veſtino, & Nerva Syllano Coſſ. anno ætat. 27. Bona ejus Nero patri Melæ conceſſit. Indomito ſimilis equo in carmine fertur, qui in medio prato acriter quidem, & animosè, ſed inconcinnè ſaliat. Fabius eum magis oratoribus, quàm Poetis adſcribit. Statius, & Martial. Virgilio, & Homero conferre audent. Juvenis Saturnalia, Sylvas, Incendium urbis, Medeam tragœdiam, item Epigrammata, quædam ad Pollam ſcripſit, præter notos libros Pharſaliæ.

Soterichus ex Oaſi urbe Libyæ, ſub Diocletiano laudes ejus ſcripſit, item Dionyſiaca Pythona, Alexandriaca, Panthiam Babylonicam, & Ariadnem.

Arrianus Græcus tranſlationem ex Virgilii Georgicis fecit, item de Alexandro Macedone 24. Rhapſodias.

Clemens, Apuleii familiaris, totam Alexandri hiſtoriam pulcherrimo carmine illuſtravit.

Sylius ab Italica Hiſpaniæ urbe Italicus dictus, aliis ab Italica Pelignorum metropoli: natus Romæ creditur, & nutritus. Orator primum, & cauſidicus, deinde Poeta. Majore cura carmina compoſuit, quàm ingenio. Virgilii natalem religiosè colebat Neapoli, ac ejus monumentum: item & Ciceronis manes, cujus Academiam inſtauravit. Ter fuit conſul. In primo ejus conſulatu Nero periit. Cùm clavo inſanabili torqueretur, vitæ tædio, inedia periit. Inter cætera Punicum bellum 17. libris ſcripſit.

P. Papinius Statius pater, præceptor Domitiani, & ab eo in certamine Albano auro donatus, & corona, propter eruditionem nomen ſuum jam fecit celebre, ut duæ urbes, Sellæ Epirotarum, & Neapolis Cumanorum, de ejus patria certent. Ex Agellina uxore filium P. Papinium Statium genuit, eumque ipſemet in literis educavit. Anno 65. lethargo obiit. Multa & proſa, & carmina ſcripſit, quorum nihil ad nos pervenit. Filius Claudiam Claudii Apollinaris filiam, quæ tibicini nupta fuerat, uxorem duxit, amoris impatiens: cum qua ſenex Neapolim in communem ambobus patriam rediit. Domitianus Cæſar Albano certamine eadem, qua patrem, corona donavit. Quidam præacuto ſtylo à Domitiano confoſſum ajunt. Dantes Statium Chriſtianum, quoque fuiſſe aſſerit, converſum his Virgilii verbis.

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Scripſit Thebaida, item Achilleida, Sylvas, Tragœdiam.

C. Val. Flaccus Setinus, Patavinus fuit (quamvis alii Campanum à Setia urbe, alii Romanum fuiſſe velint) Veſpaſiano dicavit Argonautica: ſed immatura morte abreptus, perficere non potuit.

Q. Calaber Græcus libros XIV. ſcripſit eorum, quæ in bello Trojano ab Homero relicta ſunt, quæ τῷ Ὁμήρῳ παραλειπόμενα inſcribuntur. Cœpit autem ab Hectore tracto.

Calliſtus ſub Juliano meruit, & ejus res geſtas verſibus ſcripſit.

Cl. Claudianus ſub Theodoſio vixit, Alexandrinus ex Ægypto, Petrarcha Florentinum ait: ſed patrem ejus mercatorem ob bella in Ægyptum ſeceſſiſſe. Florentino viro clariſſimo fuit gratiſſimus. Landinus Chriſtianum fuiſſe autumat: Contrà D. Auguſtin. & Oroſius Ethnicum, & quidem Chriſtianorum ſummum hoſtem. Quod ſi quædam Claudiani Chriſtiana leguntur, vel in gratiam Theodoſii compoſita ſunt ab eo, vel certè ſunt Claudii Mamerci Viennenſis ex Gallia, quem Sidonius laudat. Statua in foro Romæ erecta eſt Claudiano, cum teſtimonio Imp. quo eum Virgilii mentem, & Homeri Muſam Arcadius, & Honorius habuiſſe teſtantur. Nitidus, & ferox in ſententiis, majorque inventione, quàm figura carminis: ſic quoque talis, ut ſi in recentiorum numero ponas, ſit haud dubiè primus, ut veterum ultimus, *Sab. lib. 9. Enn. 7.*

Ruffus Feſtus Avienus. Hiſpanus, Dionyſium Punicum de ſitu orbis, item Arati Phœnomena vertit, & de Oris maritimis. Floruit ſub Theodoſ. Imp. Servius eum Livium jambicis verſibus deſcripſiſſe ait.

Venantius Honorius Fortunatus, Ravennæ inſtitutus fuit, & ab oculorum lippitudine D. Martini ope liberatus, ejuſdem laudes 4. lib. carmine perſecutus eſt. Poſteà in Gallis Pictavorum Epiſcopus deſignatus, ſcripſit excidium Thuringorum, Hymnos, Hodœporicum ad Juſtinum Juniorem Imper. Floruit ann. Chr. 570.

Alanus, univerſalis doctor cognominatus, Cimber, præfuit aliquandiu Lutetiæ, per tempora Adulphi, & mox Alberti Imp. ann. 1300. Scripſit contra Claudiani Ruffinum librum, quem Anticlaudianum inſcripſit.

Guntherus Germanus duodecim libris Federici Cæſaris geſta deſcripſit carmine heroico, tanquam Scythicus quidam Lucanus.

Theodulus, & Godelbertus, per tempora Zenonis, & Anaſtaſii Imper. ille de miraculis Veteris Teſtamenti, & Poetarum fabulis, hic verſu heroico opus ingens per hiſtorias, & earum allegorias à Mundi exordio uſque ad partum Virginis condidit.

Joannes Hanvillenſis, cognomine Architrenius, monachus Cantuarienſis, ſeculo maximè barbaro, Poeſin exercuit, ut miraculum eloquentiæ profluentis videretur. Scripſit Architrenium carmen libris novem, de Rebus occultis, Epigrammata, & alia nonnulla. Circiter annum 1200.

* Quis Joannem Bochium Antuerpienſem ſine injuria prætereat, cujus heroica Muſa, & gravitas ſcribendi cum priſci ævi heroicis decertavit, ſic ut in Bochio Maronem, vel Lucanum redivivum videre ſit. Scripſit Pſalmos Davidicos, & Panegyricum Principum Belgicæ, ac nonnulla alia, quæ poſteritas magis mirabitur, quàm imitabitur.

MECHANICI, QUI DE MECHANICIS ſcripſerunt. Utputa de

AGRICULTURA, PASTORITIA.

Heſiodus ἔργα καὶ ἡμέρας ſcripſit, & omnem ruſticandi modum ſimul, & tempora diligenter executus eſt. Eo libro olim pro Ephemeridibus ruſtici utebantur.

Theocritus Cous, vel Chius, vel (ut plurimi) Syracuſanus, Praxagoræ, & Philinæ filius, diſcipulus Philetæ, & Aſclepiadis, Epigrammatum Poetarum. Floruit tempore Ptolemæi Lagi, & Philadelphi. Scripſit Eidyllia Bucolica Jonico, & novo Dorico ſermone: item Elegias, Hymnos, Jambos, & Epigrammata. Periit laqueo, quòd Hieronis tyranni filium acerbiùs reprehendiſſet. *Suidas*.

Moſchus Siculus, Grammaticus, & Poeta, familiaris Ariſtarcho, Grammaticorum tum facilè principi. Bucolica ejus perierunt, extat Amor fugitivus, & Amor arans.

Bion Smyrnæus (non ille inter ſeptem Sapientes connumeratus) tertiam palmam in Bucolicis meruit.

P. Virg. Maro in Bucolicis Theocritum, in Georgicis Heſiodum imitatus eſt, fortè etiam ſuperavit.

Jul. T. Calphurnius Siculus, Bucolica ſcripſit, Charo principe, & filiis Charino, & Numeriano imperantibus.

MERCATURA.

Heſiodus in ἔργοις ſuis tempora navigationis commodæ docet.

Pancrates Arcadicus, ἔργα θαλάσσια ad Heſiodi imitationem ſcripſit. Hic Pompilum ſacrum piſcem nuncupavit.

PISCATIONE, VENATIONE.

Seleucus Emiſſenus, Grammaticus excellens, carmine artem piſcatoriam ſcripſit, ἀσπαλιευτικὰ vocat, quatuor libris: item Parthica, & commentaria in Lyricos.

Cæcilius Argivus epopæus, Halieutica, id eſt, piſcatoria ſcripſit: ut & Numenius Heracleota, Pancrates, Arcas Poſidonius Corinthius. *Suidas*.

Oppianus Corycius Cilix (alii Anazarbæum faciunt) Poeta, & Grammaticus ſub M. Antonino, & Severo floruit. Libros Halieuticon quinque, Gynegeticon IV. Ixeuticon, II. Hujus pater Ageſilaus, cùm plurimùm opibus, & auctoritate valeret, ſeſe Philoſophiæ tradidit, filiumque Cyclicis, ſive liberalibus artibus erudiit. Cùm Severus Imp. Anazarbum veniſſet, obviàm illi omnes urbis primores prodiere: id Ageſilaus, ut philoſophus, facere neglexit. Iratus Cæſar, patrem cum filio in Melitam inſulam relegavit. Severo mortuo, Oppianus filio ejus Antonino opus de Piſcibus dedicavit, & pro quolibet verſu aureum nummum accepit (unde carmina aurea dicta) ſimul & reditum in patriam cum patre impetravit. Periit peſte, annos natus 30. *Suidas*.

Gratius Phaliſcus, Cynegetica compoſuit, *teſte Ovid.* Ovidius ipſe Halieutica.

Aur. Olympius Memeſianus Carthaginenſis ſcripſit Cynegetica, Halieutica, & Nautica.

Petrus Angelus Bargæus noſtra ætate Cynegetica, ſeu de Venatione lib. 6. Ixeutica, ſeu de Aucupio lib. I. carmine, & eleganter, & methodicè ſcripſit: Cujus laborem P. Victorius omnibus aliis ejuſdem generis, ne veteribus quidem exceptis, præferre videtur.

COQUINARIA.

Euthydemus Athenienſis multa compoſuit: ſed ea Heſiodi titulo invulgavit, ut lectorum judicium experiretur. Nonnulla de ſalſamentis circumferuntur, quæ Heſiodi non eſſe patet: quia loca quædam commemorat, Heſiodi tempore nondum ſic appellari ſolita.

Archeſtratus Syracuſanus, vel Gelous, Terpſionis diſcipulus, terras, mariaque circuivit, ut ea, quæ ad gulam facerent, deſcriberet. Poema illius γαστρονομίαν inſcriptum eſſe, Chryſippus prodit: alii γαστρολογίαν, vel ἡδυπάθειαν, δειπνολογίαν, vel ὀψοποιΐαν dixere. Chryſippus quandam metropolim Epicureæ philoſophiæ appellabat, & quandam ſuum Theogoniam. Summa preſſus fuit egeſtate: & propterea minùs nobilis. Olim ei quidã dixiſſe fertur: Si cum Alexandro fuiſſes Archeſtrate, tui cujuſque carminis præmium Cyprum, aut Phœnicem tuliſſes.

Timarchidas Rhodius Cœnas deſcripſit carmine, libris undecim. Numenius condimenta, & Maſtreas Pitanæus, &

Hegemon Thaſius, cognomento Lens, & Artemidorus, pſeu-
A doariſtophanius, qui culinarias dictiones collegit: & Philoxenus Claudii filius; à quo etiam Philoxeniæ placentæ nomen habent. *Suidas.*

Epicharmus Syracuſius ad ſingula conviviorum fercula verſiculos, & Adagium adjecit. Id carmen Clearchus Solenſis Dipnologiam, alii Opſologiam, & ἡδυπαθείαν, Chryſippus Gaſtronomiam, nominibus ab epulis, deliciis, & ventre factis, alii luxuriam vocant. *Suidas.*

POETARUM DIFFERENTIÆ RESPECTU SUBJECTI ACCIDENTALITER CONSIDERATI.

Hujus ſunt loci

HYMNOGRAPHI, DITHYRAMBICI.

☞ *Conſule Tit. Melopœorum. Hìc Materiæ, illic Formæ ratio habetur.*

Pii.

Moyses Hebræorum legislator, cum ſorore Maria primus hexametrum carmen Deo Opt. Max. modulatus eſt, ſive heroicum: poſtquam Iſraeliticum populum per rubrum mare
B duxiſſet incolumem. *Exodi 15.*

Hymnorum lyricorum (ſunt enim alii hexametri, ſive Heroici) David Rex auctor fuiſſe videtur: apud Græcos Sidon filia Ponti, *teſte Euſebio.*

Poetas, qui ſervatis Chriſtianorum regulis, ante Conſtantini Magni tempora verſus ſcripſerunt, paucos invenire licet. Tametſi Philo Judæus ait, Therapeutas (ſic enim ille Chriſtianos anachoretas vocat) ſolitos cavere hymnos, & ſacra carmina componere. Et Dionyſ. Areopagita Hierotheum magiſtrum ſuum, ait amatorios hymnos compoſuiſſe, ex quibus & ipſe quædam nonnunquam excerpſit, in cujus laudem librum proprium compoſuit. *Dionyſius.*

Synesius Cyrenæus, Epiſcopus Ptolemeenſis, qui ſub Theodoſio Juniore vixit, decem hymnos ſacros divinitati conſecravit, qui elegantia cum antiquis certare, pietate etiam ſuperare poſſunt: hoc uno excepto, quòd Pythagoricos numeros, & Platonica de Mente, & Hyle dogmata, incautiùs divinis commiſcet myſteriis: Eos Latinitate donarunt Vv. doctiſſ. Guil. Canterus Ultrajectenſis, hinc Fr. Portus Cretenſis.

C Hilarius Pictavienſis Epiſcop. hymnos plurimos compoſuit, quos quotidie canit Eccleſia. Vixit ſub Conſtantio.

D. Ambrosius Mediolanenſ. Epiſcop. hymnos inſtituit, qui adhuc Ambroſiani vocantur, ut à plebe Catholica in morem Orientalium decantarentur, ad levandum mœrorem, quem ex Arianorum inſidiis aſſiduè capiebat.

Pontius Paulinus Burdegalenſis, Auſonii Galli diſcipulus, Chriſtianus factus, Auguſtino, & Ambroſio familiaris fuit, nec poſteà gentiles Poetas legere, vel nominare voluit.

Diverſus eſt ab hoc fortaſſe Paulinus Nolanus Epiſcopus, qui multa brevi verſu ſcripſiſſe dicitur, & inter cætera Hymnorum librum.

Aur. Prudentius Clemens, Hiſpanus, plurima carmina ſacra vario Poematum genere ſcripſit, ſub Theodoſio Juniore.

Licentius Hipponenſis, Auguſtini amicus, hymnos, & Epiſtolas ſcripſit.

Gennadius Afer, Pont. Rom. hymnos ſcripſit, qui adhuc in ſacris habentur ritibus.

Beda Venerabilis, an. Dom. 732. item Paulus Diaconus
D Hiſtoricus, & Poeta, primùm Aquilejæ diaconus, mox Deſiderio Longobardorum Regi ab Epiſtolis, & ſecretis. Captus cum Deſiderio in Gallias à Carolo Magno perductus, poſteà in inſulas Diomedeas relegatus eſt, quòd clàm Dionyſii rebus faveret. Profugit inde ad Arachin Deſiderii generum, ubi ab Adelberga Arachi uxore rogatus, duos Eutropii hiſtoriæ adjecit libros. Mortuo poſteà Arache, Caſſinenſis Monachus factus eſt. Carmine vitam D. Benedicti contexuit, & hymnos ſcripſit. Vixit ann. Chr. 780.

Rabanus Maurus, Fuldenſis, Bedæ diſcipulus, ſextus Moguntiorum Pontifex, Pariſienſis ſcholæ fundator cum Alcuino, mirabile Opus ſcripſit, in quo per literas carminum varias rerum figuras exprimit: quo libro nil laborioſius, nil quoque ingenioſius eſt. Vixit Gregor. IV. Pont. Rom. Ejus diſcipulus fuit Strabus, qui ordinariam gloſſam Bibliorum, & Hortulum carmine hexametro condidit.

Theodulphus Pontifex Aurelianenſis, cùm in ſuſpicionem conjurationis contra Ludovicum Pium Imp. & Francorum Regem veniſſet, in vincula conjectus, in die Palmarum, illac tranſeunte Ludovico, carmine, quod compoſuerat, alta
E voce, harmonia ſuaviſſima concinuit.

Gloria laus, & honor tibi ſit, Rex Chriſte redemptor,
Cui puerile decus prompſit Oſanna pium.
Iſrael es tu Rex Davidis, & inclyta proles;
Nomine, qui in Domini Rex benedicte venis.
Plebs Hebræa tibi cum palmis obvia venit,
Cum prece, voto, hymnis adſumus ecce tibi.
Hi tibi paſſuro promebant munia laudis,
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Hi placuere tibi, placeat devotio noſtra,
Rex piè, Rex clemens, cui bona cuncta placent.

Eo Rex delectatus, juſſit eum ſtatim liberari. Scripſit etiam Hymnorum librum.

Hudalbertus Cenomanenſium antiſtes primò, deinde à Regibus ſuorum temporum variis afflictus modis, tandem ab Honorio ſecundo Pont. Max. Turonenſis Epiſcop. factus: obiit ann. Salut. 1100. Heroica ſcripſit, & Elegias, & Hymnos. Mirè facilis, purior ſtylo, & antiquis propior.

* Levinus Torrentius II. Epiſc. Antuerpienſ. poemata ſacra evulgavit, quæ miram pietatem ſpirant, & ingenii fœcunditatem, ac facilitatem teſtantur, elegans, & eruditus
F illius ſtylus, ſive ſolutam, ſive adſtrictam orationem adſpicis, teſtantur docta illius commentaria in Horatium, & pleraque alia, quæ etiam inter conferta maximarum rerum pondera ſcripſit.

Impii.

Paris Priami filius hymnum in Venerem ſcripſit, quem Ceſton veteres vocavere, in quo veneris laudes complectitur, eamque Palladi, ac Junoni præfert. Hinc cauſa præſtita fingendi de Paridis judicio, & Veneris ceſto. *Gyraldus ex Suida.*

Olen Dymæus, aliis Hyperboreus, vel Lycius, hymnos vetuſtos edidit, qui in Delo cantantur, dum cinis, qui eſt ſuprà ſepulchrum Opis (quæ Hecaerges dicitur) ſuper ægrotorum turbam inſpergitur. Olena quidam primùm carmen hexametrum reperiſſe ajunt. *Pauſan. in Phocicis.*

Gitiadas Lacedæmonius, cùm Lacones Palladis Chalciœcæ ædem, ſtatuamque ponere decreviſſent, ſolus dignus inventus eſt, qui & ſtatuam faceret, & hymnum componeret, quem in ejus deæ celebritate canerent. Scripſit autem Dorica carmina.

G Thynicus Chalcidenſis, cùm anteà poema nullum aliqua memoria dignum edidiſſet, hymnum in Apollinem omnium canticorum abſolutiſſimum, Muſarum afflatu, ac inſpiratione, quadam invenit. Teſtis *Socrat. apud Platonem.*

Pamphus, apud Athenienſes hymnorum maximè priſcus auctor, qui primus carmina in Gratias cecinit. *Pauſan. in Achaic. & Bœoticis.* Hymnum in Jovem ſcripſit. *Giraldus.*

Dithyrambici Poetæ ad Hymnographos pertinent: quandoquidem ſpecies quædam Hymnorum eſt Dithyrambus, modis tantùm diverſa, in honorem Bacchi, verbis ampulloſis, & ſeſquipedalibus utens. Nomen traxit ab ipſo Baccho, qui Dithyrambus vocatur, veluti Lythirambus, ut eſt apud Pindarum, quòd Jupiter illum aſſuiſſet femori, mox eo in lucem prodituro, inclamaſſet: λῦθι ῥάμμα, λῦθι ῥάμμα: quod perinde eſt, ac ſi dicas, Solve futuram. Vel, quod ſecreta promens os dithyrum faciat: nam eidem loquacitatis ratione cittam, id eſt, picam, eſſe ſacram prodidere. Inde Poetæ Dithyrambici nuncupati. Quibus cùm frequentiſſimi eſſet moris ita exordiri, ἀμφί μοι ἄναξ, inde Amphianactes facetiſſimæ dici
H cœpere: quin ἀμφιανακτίζειν, pro eo quòd eſt προοιμιάζεσθαι, uſurparunt multi. Pericletus Lesbius dictionem dithyrambicam ceciniſſe fertur primus, Mileſius Melampides dithyramborum libros ſcripſit plures. Ex veteribus nonnulli ita de dithyrambis exiſtimarunt, ut qui muſicam corrumperent. Proinde Callimachus de iis, νόθοι δ' ἤδησαν ἀοιδοί, id eſt, Spurii floruerunt Poetæ. Ipſis peculiare fuit, verbis uti compoſitis καὶ πολυπλόκοις, id eſt, nodoſis, implicitiſque; ſed & tumentibus: unde dithyrambicus intellectus de obſcuro dicitur, nec cuivis pervio. *Cælius l. 7. Ant. Lect. c. 5. & Scalig. lib. 1. c. 46. Poet.*

POETARUM DIFFERENTIÆ CONSIDERATÆ reſpectu Formæ.

Huc pertinent

EPICI. RHAPSODIARUM, ET PARODIARUM SCRIPTORES.

☞ *Τὰ ἔπη Poemata ea dicuntur, quæ continuata oratione à Poeta enarrantur: & ſic Dramatis opponuntur, quæ non ut enarrentur, ſed ut agantur, perſonarum dialogiſmis diſtincta*
A *ſunt. Cui quidem orationi continuæ cùm carmen hexametrum, quo heroum geſta decantantur, ſit aptiſſimum: exempla Epicorum eadem erunt, quæ Hexametrorum Poetarum, reſpectu formæ: eadem quæ Heroicorum, reſpectu materiæ. Jam quemadmodum Dramatum Poetæ olim ſuas ipſi agebant fabulas, mox ubi arti gratia, & quæſtus major acceſſiſſet, Hiſtrionibus id negotii dedere: ita quoque Epici olim ſua carmina recitabant, & interpretabantur, donec Rapſodi tanquam ſuppoſititii quidam miniſtri hoc munus invaſere, & Homeri primùm, mox & cæterorum Poetarum illuſtrium ſimias ſe profeſſi ſunt, ut non tantùm verſus eorum memoriter recitarent, & geſtus convenientes de ſuo adderent, ſed & ex iiſdem de quavis re propoſita centones conſuerent: quales ex Virgilio Proba Falconia, ex Homero Eudoxia Græca Imp. conſarcinaſſe perhibentur: Porrò uti rixa rixam, ſic ludo ludum trahente, novum genus Poematis exortum. Digreſſis enim Rhapſodis, & recitationem intermittentibus, luſus gratia prodibant Parodi, qui omnia à Rhapſodis pronunciata cum riſu inverterent, & præter rem ſeriam propoſitam, alia ridicula ſubinferrent. Ergo ut Satyra ex Tragœdia, Mimus*
B *è Comœdia, ſic Parodia de Rapſodia nata eſt. Et Rhapſodia quidem, & Parodi, inter Poetarum miniſtros connumerandi ſunt. Parodiarum verò, & Rhapſodiarum ſcriptores Epicis Poetis jure videntur poſſe ſubnecti. Niſi quis Parodos propter luſum, atque jocum ad Comicos referri debere contendat.*

Complures parodiarum Poetę fuerunt, at celeberrimus omnium Eubœus Parius, qui Philippi tempeſtate floruit, Athenienſium reprehenſor acerbus. *Athen. lib. 15. c. 23.*

Hegemon Thaſius, qui parodias conſcripſit, Lens cognomine dicebatur. Acceſſit in Theatrum aliquando comœdiam docens, ac veſtem habens lapidibus plenam. Quos cùm in Orcheſtram coniiceret, ut admirarentur ſpectatores effecit, paulumque intermittentes ait.

Iſti lapides, ſi quis volet, coniiciat.
Æſtate lens bona eſt, bona & per frigora.

Recitantem in theatro ſumma cum voluptate audiebant Athenienſes: ita quidem, ut eo etiam die, quo clades Sicula fuit nunciata, nemo diſceſſerit, cùm tamen ſinguli ferè amici periiſſent: partim ſtudio hiſtrionis, partim ne dejectiore, quàm par eſſet, animo, calamitatem eam ferre videretur. *Athen. lib. 9. c. 16.* Ariſtoteles Hegemonem Thaſium primum
C parodias ſcripſiſſe prodidit. Alii Hipponactem inventorem autumant. *Scalig. l. 1. Poetices c. 42.*

Compoſuit parodias Hemippus Poeta antiquæ comœdiæ, atque primus in certamen deſcendit cum Hegemone. *Athenæus lib. 15. cap. 23.*

Matron Poeta Græcus, multa millia Homericorum verſuum ad culinam, & macellum invertit juſto Poemate. *Scalig. lib. 1. Poet. cap. 42.*

EPIGRAMMATOGRAPHI.

Cherſias Orchomenius, qui cum Periandro diù ſimultates exercuit: tandem Chilone ſequeſtro reconciliati ſunt. Ejus verſus, Orchomenii in Heſiodi ſepulchro commemorant.

Archimeli Epigramma in navem Hieronis Siracuſani (de qua & opus Archimedes compoſuit) commendatur, propter quod Hieron Archimelo in Pyræum uſque mille miſit tritici medimnos. Inter Græcos quoque Epigrammatiſtas recenſentur Palladas, Theætetus diverſus à Platonico, Straton. Theodorus, Lucillius, Tarræus, Athenæus, diverſus à Naucratite Dipnoſophiſtarum ſcriptore, & à medico, Democritus diverſus à Philoſopho illo, Archytas diverſus
D à Tarentino, Doricas vel Dorias, Dorus, Erycius, & multi alii Græci: quorum nomina ex Græcis Epigrammatis colligi poſſunt.

Apud Latinos, Val. Æditũus, & Portius Licinius.

Q. Catulus Grecè, Latinèque ita doctus, ut ei linguæ ſubtilitatem, & elegantiam omnes concederent, *teſte Cicer. in Dialogo de Oratore*, in Epigrammatis venuſtus, & dulcis: gravis alioqui, & ſeverus, jocoſa tamen carmina ſcripſit.

Q. Hortenſius orator, à Cicerone ſecundus, cujus mortem deflet Cic. in Bruto. Epigrammata ſcripſit. Sicuti & M. Brutus, & Metellus, ut & M. Octacilius Pytholaus, qui Julium Cæſarem carminibus perſtrinxit, & oſtiarius primùm ſervus fuit, donec ob ingenium manumiſſus, Rhetoricam profeſſus eſt, & Cn. Pompejum docuit: videturque ex Octaciliorum familia patronum habuiſſe.

Suevius doctiſſimus vir, Eidyllium compoſuit, quod Moretum inſcripſit, quod Virgilius imitatus eſt. Quædam ejus carmina ſuis libris inſeruit Virgilius, *Macrobio teſte.*

C. Val. Catullus, in hoc genere princeps, natus peninſula
E Sirmone lacus Benaci, in agro Veronenſi, Olymp. 170. obiit nondum 30. natus annos. C. Jul. Cæſarem perpetuis ſtigmatibus carmine ſuo notavit. Amavit Clodiam, quam Lesbiam appellavit.

C. Licinius Calvus cum Cicerone de eloquentiæ principatu certavit: Epigrammata quoque ſcripſit, & Quintiliæ amicæ mortem præmaturam carmine deflevit. Catullo amicus fuit. Poſt famoſa carmina C. Jul. Cæſari reconciliatus eſt, Obiit juvenis adhuc.

C. Helius Cinna adeò doctus fuit, ut Virg. in Bucolicis fateatur, nondum ſe Cinnæ digna dicere. Opus Smyrnam compoſuit integro novennio: in quam cùm L. Craſſius Grammaticus Commentarium edidiſſet, plurimum gloriæ aſſecutus eſt. Obſcurior tamen fuit in ſententiis. Quidam hunc in funere C. Jul. Cæſar. à plebe Romana per errorem, affinitate nominis, pro Cornelio Cinna tribuno occiſum, & caput haſtæ præfixum aſſerunt.

Laurea Tullius, M. Tullii, libertus, adeò doctus, ut ſtudiorum patroni comes ſit appellatus, quemadmodum, & Tyro
F Tullius. Scripſit Epigrammata.

Domitius Marſus, in Epigrammate clarus habitus. Scripſit & Amazonida. Amavit Melænem puellam. Orbilio Grammatico infenſus fuit.

C. Ticida clarus Epigrammatiſta, Metellam amavit, quam ficto nomine Perillam vocavit. Sicuti Getulicus Ceſenniam verſibus celebravit.

Val. Martialis ex Bilbili Hiſpaniæ, ſub Domitiano, Nerva, & Trajano Romæ vixit, in patriam jam ſenex reverſus.

Sentius Augurinus *à Plinio lib. 4. Epiſt.* propter poemata mirum in modum laudatur.

Canius Gaditanus riſu delectabatur. Puellam Theophilam indoctam amavit, facundus, & lenis in Epigrammatis, *Martiale teſte.*

Fabilius Græcus, Maximini Imp. magiſter, Græca permulta Epigrammata compoſuit.

D. Auſonius Gallus, Burdegalenſis. Pœonius cognominatus Gratiani Imper. magiſter, à quo Conſul factus eſt: Biſſulam amavit. Laſcivior eſt quàm Chriſtiano Poetæ conveniat.

G Agathias Scholaſticus Smyrnæus, plurima carmina ſcripſit, & primus Græcorum Epigrammatum volumen collegiſſe putatur: quamvis alii hoc Maximo Plaudi monacho tribuant.

Hugubaldus de laude Clavorum ad Carolum Calvum ſcripſit, à capaciſſimo opus ſuum exorſus. Circa annum Chr. 880.

Damaſus Hiſpanus, Pont. Rom. ſub Theodoſio, in Poeſi excellens, DD. Petri, & Pauli aram, & multorum Martyrum ſepulchra verſibus ornavit.

Noſtra ætate evulgavit nonnulla Epigrammata in hæreticos Andreas Fruſius è Societate Jeſu: quæ admodum ſunt venuſta, & acuta.

Sed reliquos cùm noſtræ, tum anteactæ ætatis ſuperavit hoc ſcribendi acumine Maximil. Urintius Gandavenſ. editis in lucem non ita pridem IV. Epigrammatum, ſelectorum libris, in quibus neſcias, an acumen magis laudaveris, an leporem, & elegantiam, vivent extento ævo, & quandiu Epigrammatibus honos erit, tamdiu etiam Urintii nomen in illis celebrabitur.

Inſuper eo metri acumine excellit Joan. Ovvenus Oxonienſis, cujus Epigrammata omnium manibus teruntur. H

MELOPOEI IN GENERE.

Lyrici, Melici.

☞ *Proxima Heroicæ majeſtati Lyrica nobilitas: ut illa à canta Rhapſodia, & Epos, ita hæc Ode, & μέλος, & μολπή. Neque enim ea ſine cantu, atque lyra pronunciabant. Unde & Lyricorum appellatio. Odas quoque à canendo, titulum ſuorum librorum fecit Horatius. Grammatici Pindaricas inſcripſere cantiones, μέλη: alii verò maluerunt ᾠδὴ. Unde diminutivum Idyllion, quia Poemata eſſent rerum quaſi ſpecies quædam. Quanquam autem μέλος Lyricorum tantùm fuit Melodia tamen eſt omnibus cantionum ſonis attributa. Sic Chamæleon in lib. quem de Steſichoro ſcripſit, μελῳδηθείσας non ſolùm ait Lyrica, verùm etiam & Archilochi, & Heſiodi, & Mimnermi, & Phocylidæ, & Homeri: Quare Harmoniam etiam invenias Melodiam appellatam. Porrò Lyricorum genera multa. Melos, ſive Ode, quibus curas amatorias decantant. Scholia μέλη in conviviis, quibus virorum fortium laudationes, & quæcunque adhortationes ad virtutem continebantur Dithyrambica. Ithyphallica.*

Sto-

Stotadica. Choriambica, in Cybelen, Bacchum, Silenum, Pana, Faunum, Priapum. Epipompeutica, quæ in Pompis accinebantur. Epinicia, quæ in certaminibus victori canebantur. Pæanes, quibus gratulabantur diis pro victoria bellica, cum declamatione, ἴν παίαν, quòd Græci ἐπίφθεγμα, & ἐπίῤῥημα vocabant. Hymni ad aras dicebantur. Scalig. lib. 1. cap. 45. Poetices. Cæterùm quia metro ſonum quoque harmonicum vocis vivæ, organive muſici adbibebant Lyricorum quorundam etiam ſub Muſicis mentio fiet.

Marſyas Lydus, Satyrus, Lyricus Poeta, Judicum Hebræorum tempore Phrygios modos excogitavit, ante Trojanorum tempora Cybelen Mæonis Regis Phrygum filiam amavit, quæ ſyringa invenit: cùmque ei amorem ſuum indicare vereretur, tibias invenit, ut commodiùs ei amoris flammam indicaret. Hæc poſteà ab Apolline quoque amata fuit. In certamine muſico ab Apolline victus, excoriatus eſt: & vicinus fluvius ejus nomine Marſyas dictus. Quidam tibias à Minerva propter oris deformitatem abjectas, & à Marſya collectas ſcribunt.

Philammon (pater Thamyridis Thracii) ex Brinchis Edonum civitate, ex Philonida Dejonis filia, & Apolline natus: primus virginum choros inſtituit, & cum Argonautis quoque ad aureum vellus profectus eſt.

Achilles Pelei, & Thetidis filius, ab Homero lyra illuſtrium virorum geſta ceciniſſe, narratur.

Laſus Hermioneus, floruit 80. Olymp. tempore Darii Hyſtaſpis filii. Primus ſcripſit de Muſica, & Dithyrambum in certamen primus invexit. Primus Cyclios choros inſtituit. Oden quoque ἄσιγμον, id eſt, ſine litera σ ſcripſit: & hymnum ſimilem in Cererem.

Simmias Rhodius 406. annis poſt Trojæ excidium floruit, origine Samius: quorum & Dux conſtitutus eſt, ut poſt direptionem Sami ex reliquiis coloniam deduceret. Ab hoc quidam primùm jambos ſcriptos ajunt.

Tyrtæus Elegiacus, & Melicus, Athenienſis ludimagiſter, & claudus, cùm ab Athenienſibus mitteretur Lacedæmoniis petentibus ducem adversùs Meſſenios, eorum animos ſua Poeſi excitavit. *Pauſan. in Meſſenicis.*

Terpander Lesbius, ex Heſiodi, vel Homeri nepotibus, primus ſeptichordem lyram conſtituit, hoc eſt, ex tetrachordo heptachordum: Primus ètiam νόμους λυρικοὺς invenit. Quamvis alii horum inventionem Philammoni tribuant; invenit, Cepionem νόμων, Bœotium Æolium, Trochæum, Oxyn. Volunt etiam eum Elegi carminis inventorem fuiſſe, & quater in Pythiis viciſſe, Lacedæmoniis aliquando inter ſe diſſidentibus vocatus è Lesbo, ex oraculo, ſeditionem eorum cantus ſuavitate ſedavit. Unde ab eo tempore Lacedæmonii, quoties cantorem aliquem audirent, protinus exclamabant, μετὰ Λέσβιον ᾠδόν: quod poſteà in proverbium abiit de iis, qui ſecundas partes aſſequuntur. Plutarchus eum ab Ephoris mulctatum aſſerit, ejuſque citharam affixam, quòd antiquam immutaſſet muſicam, unumque nervum ſuperfluò intendiſſet: nihil enim ex Lycurgi inſtituto de priſca muſica immutari fas erat. Ab eodem Lesbii, & Jones à pleriſque morbis liberati fuerunt cantus dulcedine. Floruit Olymp. 35. antiquior Archilocho, & Anacreonte: ita ut primus omnium Carnia viciſſe dicatur, quæ Olymp. 27. Lacedæmone inſtituta fuerunt, alii ætate Lycurgi.

Clepion diſcipulus Terpandi, cujus tempore citharæ figura conſtituta fuit, trichordis tantummodò, Aſias, & Aſiaris dicta: quoniam Lesbii citharœdi Aſiæ proximi ea primùm ſunt uſi.

Ariſtoxenus Selinuntius, Epicharmo longè antiquior, primus anapæſtico metro uſus eſt.

Periclitus Lesbius, cantu citharæ Lacedæmones Carnia vicit. Quidam dithyrambicam dictionem ab hoc inventam referunt. Eo mortuo, excellens modulandi ars per ſucceſſionem defecit, *teſte Plut.* Hipponacte fuit antiquior.

Phrynis Mitylenæus, Athenis primus citharœdicam docuit, & in Panathenæi Callia principe vicit. Patre Canope ſervus natus eſt, & Hieronis coquus, Ariſtoclidis diſcipulus, antiquam, & maſculam muſicam in novam traduxit.

Archilochus ex Paro inſula, Olymp. 23. vel 28. floruit. Pater ejus Teleſicles de puero nato percontatus, oraculum accepit ἀθάνατός σοι παῖς καὶ ἀοίδιμος, ὦ Τελεσίκλεις, jambo primus uſus eſt ad maledicendum, quo ad alia antè utebantur. Falsò enim quidā ei Jambi inventionem tribuunt, cùm conſtet, Homerum in Margite eo uſum. Uſus autem eſt contra Lycamben ſocerum, qui promiſſam ſibi filiam Neobulen denegarat. Epodon ex trimetris, & dimetris commentus, eo ſocerum cum tribus filiabus ad laqueum compulit. Lacedæmonii eum urbe expulerunt propter impudicos verſus: & quòd ſatius eſſe ſcripſiſſet, clypeum abiicere, quàm animam amittere. Maledicus adeo, ut ne ſibiipſi quidem parceret. Interfectus eſt in bello à Calonda Naxio milite, qui Corax dicebatur: quem propterea Pythia templo expulit, μουσάων θεράποντα κατέκτανες, ἔξιθι νηοῦ. Neque priùs admiſit, quàm ad Tænarum profectus, τέττιγος, id eſt cicadæ manibus parentaret: τέττιγα autem ſeipſum Archilocus propter garrulitatem vocabat.

Tellen melopœus, & unà tibicen, mordacibus uſus jocis in iis, quæ Pægnia dicuntur. Unde proverbium inſulsè mordentes, ἀεὶ δὲ τὰ Τέλληνος vel ἄδε τὰ Τέλληνος.

Hipponax Epheſius, Jambographus, floruit Olymp. 60. & Clazomenas migravit, ibique delituit, Athenagora, & Coma tyrannis. Valde deformis fuit. Unde cum à Bupalo, & Athene, ſive Anthermo, fratribus ſculptoribus celeberrimis, ejus imago ridentium circulis proponeretur: indignatus Hipponax, amaritudine carminum eos ita diſtrinxit, ut ad laqueum compuliſſe dicatur. Ab hoc Hipponactium carmen vocatum: quia pro jambo inductis trochæis, contra legem trimetri jambici, metrum innovavit, atque ita Archilochium infregit. Jambum quidam à vetula Jambe dictum volunt, quæ cùm fortè lavaretur in ſolio, & inde Hipponax præteriens vas contigiſſet, illa Hipponacti ait: Homo hinc abi, convertis hocce vaſculum, atque ex hoc Jambum primùm confectum.

Pythermus Tejus, Jonicos modos ſiniſtros invenit, τὰ μελησκαῖα.

Sacadas Argivus, ter Pythia vicit modulando. Primus tibiarum cantum Pythicum apud Delphos ceciniſſe dicitur, & ſtrophen in ſingulis tonis feciſſe: nomonque trimerem, ut primus chorus Doricus, ſecundus Phrygius, tertius Lydius eſſet, inſtituiſſe.

Cineſias Athenienſis, vel Thebanus, qui Pyrricham, genus ſaltationis compoſuit, ἄθεος, Dithyramborum Poeta.

Arion Methymneus Lesbius, Cyclei F. Lyricus, & citharœdus, Olymp. 38. Periandro Corinthiorum tyranno gratiſſimus: ſcripſit cantilenarum procœmia, ad duo ferè verſum millia. Quidam eum Chorum, & Tragicum modum, & Dithyrambum, primùm conſtituiſſe volunt: & Satyros etiam induxiſſe, qui per metra canerent. Alcmanis diſcipulus. *Suid.* A delphino per mare ex manibus piratarum vectus. Cujus rei ſignum in Tænaro poſitum cum inſidente. *Herod.*

Lyrici novem à Græcis recenſentur hoc ordine: Pindarus, Simonides, Steſichorus, Ibycus, Alchman, Bacchylides, Anacreon, Alcæus, & Sappho. Quibus Iſaacius decimam addit Corinnam, *in 1. Græco. Epigram.* his verbis:

> Ἔκλαγεν ἐκ Θηβῶν μέγα Πίνδαρος. ἔπνεε τερπνὰ
> ἡδυμελεῖ φθόγγῳ μοῦσα Σιμωνίδεω.
> λάμπει Στησίχορός τε, καὶ Ἴβυκος. ἦν γλυκὺς Ἀλκμάν.
> λαρὰ δ' ἀπὸ στομάτων φθέγξατο Βακχυλίδης.
> Πειθὼ δ' Ἀνακρείοντι συνέσπετο. ποικίλα δ' ηὔδα
> Ἀλκαῖος κύκνῳ Λέσβιος αἰολίδι.
> ἀνδρῶν δ' οὐκ ἐνάτη Σαπφὼ πέλεν, ἀλλ' ἐρατειναῖς
> ἐν Μούσαις δεκάτη Μοῦσα καταγράφεται.

Alcman, Pittaco coævum, Olymp. 43. vel 28. Alii Laconem, alii Meſſenium, alii ex Sarde Lydiæ urbe πολυβρώματος fuit, id eſt guloſus, & amatorii carminis princeps. Lingua Dorica melicos verſus ſcript. Servus fuit Ageſydi: ſed ab eo libertate donatus, phthiriaſi periit.

Alcæus Mitylenæus, Olymp. 60. floruit cum Sappho. Pittaco, quem Mitylenæi contra exules eos, qui patriæ cum Alcæo inſidiabantur, ducem creaverant, hoſtis ex profeſſo fuit. Eum tamen cùm Pittacus cepiſſet in pugna, incolumem dimiſit, tantùm admonuit, quid in opprimendo poſſet. Cùm Mitylenæ contra Athenienſes pugnarent, & vincerentur, Alcæus abiectis armis aufugit, quæ hoſtes in templo Palladis ſuſpenderunt.

Tiſias Himeræus ex Sicilia, vel Catanenſis (certant cum pro cive ſuo hæ civitates inter ſe) quòd cantu citharæ chorum primus conſtituerit, Steſichorus dictus eſt. Filius Heſiodi, ex Clymene, vel Euphorbi, vel Hyetis, vel Euclidis, Alcmane Junior. Infantis ori luſcinia inſediſſe dicitur. Claruit ab Olympiade trigeſima ſeptima, uſque ad quinquageſimamſextam, qua obiit: ut ad nonagintaquinque pervenerit annos. Filias habuit parente dignas, quas propter obitum patris Phalaris tyrannus conſolatur. Carmina Epodica ſcripſit, in quibus tria eſſent, Strophe, Antiſtrophe, & Epodos. Unde proverbium in indoctos, Neque Steſichori tria noſti, *teſte Suida.* Scripſit & Heroica. Imitatus eſt regulas Olympi, eaſque illuſtravit. Cùm Helenam vituperaſſet, cæcus factus, non prius viſum recepit, quàm palinodiam ceciniſſet. Phalaride tyrannidem occupante, cùm cives ſuos Himerenſes diu fruſtra monuiſſet, ne nimiùm illi fiderent, neve auxilio ejus uterentur, à tyranno captus, propter eruditionem dimiſſus eſt. Sepultus Catanæ ante urbis portam, quæ Steſichoria dicta eſt, octangulo ſepulchro: à cujus forma, caſus quidam in ludo teſſerarum, Steſichorius dictus eſt. Ajunt octo columnas, octo gradus, octo angulos habuiſſe. Unde proverbium, πάντα ὀκτὼ cùm rei nihil deeſſe ſignificamus. Hunc Quintilianus ſimodum tenuiſſet, Homerum proximè æmulaturum fuiſſe aſſerit: ſed redundare eum, & effundi nimium. Dorica lingua uſus eſt.

Simonides Leoprepis F. Julites, ab urbe Ceæ inſulæ, Melicertes, à cantus ſuavitate dictus. Floruit Olymp. 56. aliis 61. & pervenit uſque ad 78. Unde quidam eum coævum, alii poſteriorem Steſichoro fuiſſe volunt. Dorica lingua ſcripſit Cambyſis, & Darii regnum, & Xerxis navale prælium: item bellum ad Artemiſium, verſu elego: ad Salaminem, lyrico. Scripſit & Threnos, & Epigrammata: Pæanas, & Tragœdias. Nonageſimum annum exceſſit. Interrogatus quamdiu vixiſſet: Parum, inquit, at annos multos. Memoria excelluit, quam ſibi epotis quibuſdam medicamentis comparavit, teſte Marcellino. Primus μικρολογίαν, hoc eſt, brevem loquendi modum induxiſſe dicitur. Syracuſis cum Hierone Rege diù verſatus eſt, pecuniæ ſtudio. Tenuis alioqui in carmine fuit, præcipuaque ejus in commovenda miſeratione virtus. *Suidas.*

Pindarus inter novem Lyricos longè princeps: floruit Olymp. 76. ortus 65. Thebanus: natus in vico Cynocephalorum. De ejus parentibus lis eſt: Scopelino tamen tibicine ſatus dicitur. Diſcipulus fuit Laci Hermionei lyrici, item Myrtidis mulieris. Puero in cunis apes in ore, tanquam in alveari, mella depoſuerunt. Compoſuit ultra 17. libros, Dorica dialecto. Major pars periit. Simonide Junior, Bacchilide ſenior fuit. Cum Corinna certans, victus eſt, Judicum imperitia. In gremio pueri Theoxeni dilecti in gymnaſio ſedens repentè obiit, annum agens 55. Alii aliter referunt. Suidas duos facit, majorem Daiphanti, lyricum: minorem Scopelini F. conſobrinum.

Anacreon Tejus, ex Teo urbe Joniæ, vini, & turpiſſimæ Veneris appetentiſſimus, pueros, deos ſuos appellabat. Vixit Olymp. 61. vel 62. quo tempore, & Polycrates Sami tyrannidem exercuit: à quo Anacreon plurimum amatus dicitur, & ab eo quinque talentis donatur, cùm duabus propterea noctibus inſomnis ferè jacuiſſet, reddidit ea Polycrati, inquiens. ὁ τιμᾶσθαι ἀντὰ τ' φροντίδος. Scripſit Hymnos, Elegias, Jambos, & Mela, Anacreontia dicta. Barbyton, ejus inventum eſſe, Neanthes Cyzenus aſſerit, ut trigonon, Ibyci. Vixit ann. 85. acino uvæ ſuffocatus. *Suidas.*

Ibycus Rheginus ex Italia, inde digrediens, in Samum inſulam migravit, quo tempore pater Polycratis Rempublicam Samiorum adminiſtrabat, Olymp. 50. in puerorum amoribus obſcœniſſimus fuit. Excogitavit ſambycam, ſive jambycam, quæ triangularis citharæ ſpecies eſt, qua jambea canerentur. A latronibus interfectus in ſolitudine: qui tum poſteà ſuomet judicio, occaſione gruum proditi, Corinthi capitali ſupplicio affecti fuerunt. Ab eo Ibycinum inſtrumentum muſicum, quo Galli, & Romani in militia uſi fuerunt. Laudantur ejus opera ſeptem, Doricè ſcripta.

Callimachus Cyrenenſis, Batti filius, Hermocratis Jaſii diſcipulus, floruit ſub Philadelpho, uſque ad Evergetem, Olymp. 125. literas publicè docuit in Eluſini Alexandriæ vico: deinde in aulam Regis receptus eſt. Scripſit volumina pluſquam octoginta, Tragœdias, Comœdias, Epodon, Mela, Fabulas diverſas, Hymnos.

Bacchylides, nepos Simonidis ex fratre, ex Julide Ceæ inſulæ, Olymp. 81. floruit. Scripſit Hymnos, & Epigrammata. Julian. Cæſar adeò ejus carminibus delectatus eſt, ut ab eo vivendi quoque præcepta deſumpſerit. Hieron, Siciliæ tyrannus, ea Pindaricis prætulit. *Suidas.*

Diagoras Melius, ex Melo una Cycladum Poeta canticorum fuit: & cùm ſervus eſſet, à Democrito decem millibus drachmarum redemptus, ut ab eodem eruditus, ut Philoſophus quoque haberetur. Vixit poſt Pindarum, & Bacchylidem. Ἄθεος fuit: & propterea Athenis pulſus, talento etiam interfectori propoſito. Obiit Corinthi. Alii Dithyramborum Poetam faciunt.

Menalippides, Melius, lyricus, ſcripſit Dithyrambos, Epica, Epigrammata, & Elegias. Floruit 66. Olymp. & cum Perdicca Rege vixit. Multa hic in Dithyrambis innovavit.

Philoxenus ex Cytheris nobilis lyricus, à Lacedæmoniis captus, & Menalyppidi venditus: Dionyſii tyranni inepta poemata approbare noluit, maluit potiùs in latomias detrudi. Donatus fuit à Dionyſio Laide puella: quam cùm Corinthum duxiſſet, in nobiliſſimum evaſit ſcortum. Laconicam harmoniam reperit. Scripſit Dithyrambos, Æacidarum genealogiam, Tragœdias. Obiit Epheſi, cùm aliquandiù cum Antigono Rege vixiſſet.

Theleſthus, Dithyramborum Poeta, cui monumentum Sicioniorum tyrannus Ariſtratus conſtrui fecit, & Alexander ejus libros ſimul, & Menalippidis ſibi per Harpalum afferri juſſit. Patria fuit Selinuntius.

Timotheus Mileſius, Therſandri, aut Neomyſi F. citharœdus, Euripidi coævus, ſub Philippo Rege. Hic antiquam, & duriorem muſicam, in manſuetiorem, molliorémque convertit, decimam quoque, & undecimam chordam addidit. Damnatus proinde à Lacedæmoniis, quòd ſeptem antiquæ citharæ chordis quatuor addidiſſet: & cithara ejus in Sciade porticu ſuſpenſa. Cùm Alexandro autem oſtentare vellet, peritè adeò Palladis carmen Orthium, ſeu Phrygium modulatus eſt, ut ardore cantus ad arma ſtatim Alexander proſilierit: rurſus eodem quaſi receptui canente, depoſuerit. Pecuniæ fuit avidior. Annum agens 97. obiit, in Macedonia ſepultus. Scripſit Nomos citharœdicos multis verſuum millibus: item Artemin, Encomia, Perſas vel Nauplion, Phinidas, Laerten, Dithyrambos 18. Hymnos 21. *Suidas.*

Phaleucus Ceronæus, unus ex Plejadibus Poetis: à quo carmen Phaleucium, non inventum quidem, ſed quòd primus ipſe hoc carmine integra poemata confecerit.

Cteſiphon Athenienſis lyricus Colabus. Colabi autem dicuntur à colabis citharæ claviculis, quibus chordæ intenduntur. Epitonia citharæ vocat Suidas. *Vide Athen. ult. de Dipnoſophiſtis, lib. de Colabis Poetis.*

Q. Horatius Flaccus Venuſinus, patre præcone libertino natus, Torquato, & Cotta conſulibus, biennio ante Ciceronem Conſulem. Mox Romæ ſub Orbilio Grammaticæ operam dedit. Inde Athenas profectus, Epicuri ſectam ſecutus: poſteà tamen ſenior, Academiæ ſe tradidit. Bello civili Brutum, & Caſſium ſecutus, poſt Philippenſem Cladem ad Poeticam rediit, & Virgilio, Varioque intercedentibus, Mecœnati, & Auguſto inſinuatus eſt. Vixit ann. 57. vel ut alii 70. Eum ex Lyricis ſolum legi dignum, arbitratur Fabius Primus ſe jambos, & lyricos ſcripſiſſe gloriatur: cùm tamen ante ipſum hoc carminum genere Livius Andronicus ſcripſerit hymnos: item Val. Catullus, Tegula, C. Lænas, & Lucullus: ſed hi aliqua tantùm, non ut Horatius, plena volumina.

Cæſius Baſſus lyricus, ſub Claudio floruit, ad Veſpaſianorum uſque tempora. Veſuvio monte conflagrante, unà cum villa ſua incendio periit.

Veſtitius Spurina lyricus, vir clariſſimus, ſub Domitiano, & Trajano exercitus Dux, Bructerum Barbarorum Regem debellavit. Suaviſſimè utraque lingua ſcripſit. Vixit annos 70. ex ſenectute nil habens præter prudentiam. Filium ex Coxia uxore Coccium habuit, qui immatura morte periit, eique Cæſar in parentis ſolatium Statuam triumphalem poſuit.

Meſomedes Adriani Imp. libertus, & amicus ſummus, Cretenſis, lyricus egregius, Antinoum, Adriani delicias, deorum numero adſcriptum miris extulit laudibus. Ab Antonino cenotaphio honoratus eſt, quòd ab eo nomos citharœdicos edidiciſſet.

Maurus Terentiam Carthaginenſis, lyricorum, cæterorumque verſuum dimenſiones regulaſque iiſdem ipſis carminum generibus proſecutus eſt. Quo tempore vixerit, incertum. Meminere ejus Auguſtinus, Ruffinus, Priſcianus, & Servius.

Martialis ætate, Lucius Hiſpanus Horatium majore conatu, quàm ſucceſſu imitatus eſt.

* Levinus Torrentius, ex Decano Leodienſi Epiſcopus Antuerpienſis, tam felix in Lyrico carmine ſcribendo extitit, ut merito Chriſtianæ Lyræ Princeps fuerit appellatus.

* Sed ſuperiori ſæculo felix vena in omni genere carminis Lyrici Georgio Buchanano fuit. Probant Pſalmi Davidici, vario metro redditi: cujus operis elegantiam nulla temporum ſeries obliterabit, ut cujus intuitu, Poetarum ſui ſæculi Princeps indigitatus eſt. Utinam in Catholicorum caſtris vel gregarii militis perſonam ſuſtinuiſſet.

COMICI